

Google


HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Siebenundvierzigster

JAHRESBERICHT

des

k. k. Stiftsgymnasiums der Benedictiner

zu

MELK.

Am Schlusse des Schuljahres 1896/97 veröffentlicht

vom

Director des Gymnasiums

P. Hermann Ulbrich,


k. k. Schulrath.

Inhalt:

Melk, 1897.

Selbstverlag des Gymnasiums.

Druck von Rudolf Brzezowsky & Söhne in Wien.


JUN 2 190

Horatiana

sive de ratione, quae intercedit inter Horatium et poetas Lyricos Graecos.

Scripsit

P. Dr. Andreas Pühringer.



A.

Pars prior, qua continentur quaestiones ad rem grammaticam pertinentes.

uam late extremis rei publicae temporibus floruerit apud Romanos Graecorum litterarum studium, ut cuilibet eruditiori viro illius linguae fontes patuerint, quamque grato in patris memoriam animo Horatius professus sit, se Graeca doctrina imbutum fuisse iuvenem (conf. Serm. I, 6 vv. 70—100) cognitum habemus; inde nimirum intellegimus esse factum, ut omnibus eius carminibus Graeca quaedam species et ipsius linguae elegantioris vestigia inhaereant, pariter atque aequalium poetarum opera neque minus solutam orationem pulcherrime illustrant.

Atqui Horatius et poetae supparis aetatis, cum aut per audaciam nova quaedam protulerint aut Graecorum exemplaria secuti eorum et res et loquendi artem transtulerint, longe maximam sane novae huius praestantiae et elegantiae [1]) partem Graecos imitandi studio sive Graecismo suo debent. In Graecismi autem, ut sic dicam, rationem referendum est, quidquid vel rerum a Graecis assumptum vel verbis ita enuntiatum est, ut non plene ex sola natura atque consuetudine Latini sermonis pateat, sed veram vim et lucem ex comparatione demum analogiae Graecae accipiat.

Huius igitur Graecanicae rationis atque inclinationis in his artificiosae sectae, ut sic dicam, poetis Latinis praecipua

---

[1]) Conf. Quintil. inst. orat. X, 1, 96: Horatius .... plenus est iucunditatis et gratiae et varius figuris et verbis felicissime audax; et ipsius Horat. Epi. II, 1, 166: Nam spirat tragicum satis et feliciter audet.

quoque ratio habenda est. Quod ut horum omnium et superiorum nonnullorum commune est, ita in singulis admodum varium atque diversum apparet; nam cum apud superiores poetas, dico Varronem Atacinum, Lucretium, Catullum, qui primi talia suis viribus tentaverunt, simplex omnino et apertum sit et plerumque sibi constet, apud Horatium iam multo exquisitius et reconditius est; immo etiam, qui paulo accuratius in hac re versatus erit, facile inveniet, non esse consuetudinis Horatii integra Graecorum carmina imitatione exprimere et eadem sententiarum serie, nedum iisdem verbis Latine reddere; neque enim quisquam aequalium poetarum „spiritu Graiae tenui Camenae“ tam plene et tam penitus imbutus fuit quam Horatius.

Quae cum ita se habeant, mirum esse non potest, quod viri docti, qui Horatii carminibus explicandis et emendandis operam navaverunt, de eius Graecos imitandi studio et ratione accuratissimas inprimis inquisitiones instituendas esse monuerunt; nec defuerunt, qui in hac re pro viribus elaborarent; iam initium fecit, ut taceam de opusculis parum subtilibus Blondelii „Comparaison de Pindare et d'Horace“, Paris. 1673 et Tollii „Comparatio Pindari et Horatii“, diss. Lugd. Bat. 1704, quibus iam uti nequimus, H. Wagner; sed et huius op.: „Q. Horatii Flacci carmina collatione scriptorum Graecorum illustrata“, Hal. 1770, cum additamentis 1771 ed., etsi multa satis bonae frugis in eo congesta sunt, nostris temporibus prorsus obsoletum est. Wagnerum secuti sunt multi viri docti, e quorum numero spectatissimos nomino: G. Fr. Wenschium: „De Horatii Graecos imitandi studio et ratione“, Vitemberg. 1826; C. Rotterum: „De Horatii studiis Graecis“, Gleiwitz. 1836; G. Fr. Grotefendum: „Über die Originalität des Horatius in seinen Oden“, in ephem. „Zeitschrift f. d. Alterthumswissenschaft“ 1844, n. 19; 1851, n. 30; Estreium: „Horatiana Prosopographeia“, Amstelodami 1846; Michaelem: „De auctoribus, quos Horatius in libro de arte poetica secutus esse videatur“, Kiel. 1857; Goebelium: „Horaz und Euripides“ in ephem. „Zeitschrift f. d. Gymnasialwesen“ a Muetzellio cur. 1851; H. Garckium: „Q. Horatii Flacci carminum librum primum collatione scriptorum Graecorum“, Hal. 1860; E. Thallwitz.: „De Horatio Graecorum imitatore

specimen prius", Lips. 1874; Fr. Franciscium: „Horaz als Nachahmer griechischer Lyriker", Passov. 1889; Th. Fritschium: „Menipp und Horaz", Guestrov. 1871; H. Arndt: „Horatius sitne imitatus Menippum?", Harburg 1884; E. Roweium: „Quaeritur, quo iure Horatius in saturis Menippum imitatus esse dicatur", Hal. 1888; R. Heinzium: „De Horatio Bionis imitatore", Bonn. 1889; Th. Arnoldium: „Die griechischen Studien des Horaz", (Hal. 1855 et 1856) iterum ed. a W. Friesio, Hal. 1891.

Desideratur vero in his opusculis omnibus, cum minorem operam homines docti explorandae Horatii elocutioni navaverint, illa inquisitionis pars, quae rei grammaticae rationem habet quaeque in Horatii carminibus recte aestimandis non minoris momenti esse potest; nam ut singula verba, locutiones, sententias poeta a Graecis sumpsit, ita etiam multa eorum, quae ad verborum enuntiatorumque structuram et usum pertinent quaeque a Latino sermone aliena sunt, e Graeco fonte eum hausisse putandum est.

Quam rem in universum de scriptoribus Latinis iam ostendere studuit Daniel Vechner in op.: „Hellenolexias sive parallelismi Graeco-Latini lib. duo", Francof. 1610; novis accessionibus et observationibus auct. a M. Heusingero, Gothae 1733; additamenta ed. Wellauer, Vratisl. 1828; eandem fere rem tractavit „Olphardi Belida Melanchthon graecissans sive Syntaxis Latino-Graeca", Franequerae 1605. Egregiam in dictione poetarum Latinorum illustranda diligentiam posuit Chr. D. Janius in op. „Artis poeticae l. IV", Hal. 1774.

E viris doctis, qui nostra aetate ad hoc studium accesserunt, nominandi sunt: Sternius „Symbolae ad grammaticam Romanorum poeticam", Hammon. 1845 et „Grundriss einer Grammatik für römische Dichter zum Gebrauche f. Schulen", Arnsberg 1851; Luebker: „Studien zur Syntax des Adiectivums und Adverbiums in den alten Sprachen", Parchim 1837; Meyer: „De epithetorum ornantium vi, natura et usu apud Graecos et Latinos poetas", Utin. 1837; G. F. A. Krueger: „Untersuchungen über die lateinische Sprache"; p. III: „Die Attraction in der lateinischen Sprache", Brunsvig. 1827; Th. Ruddimannus: „Institutiones grammaticae", Edinburg. 1725,

cur. Stallbaum. Lips. 1823; F. A. A. Bach: „Die Lehre vom Gebrauch des Casus in der lat. Dichtersprache“, Goth. 1848; Jerich: „Beiträge zur Kenntnis der Darstellungsweise und des Sprachgebrauches der Alten, vornehmlich der römischen Dichter“, Goerlitz. 1856; Merquet: „De usu infinitivi, maxime poetico“, Regimont. 1864.

Fr. Guil. Holtze: „Syntaxis priscorum scriptorum Latinorum usque ad Terentium“, Lipsiae 1861; Jo. Georg. Walch: „Diatribe de Latinitate poetica“; Godofr. Hermannus: „De differentia prosae et poeticae orationis disputatio“, p. I. et II. Lipsiae 1803; Jacob: „Quaestiones epicae“, Quedlinb. et Lips. 1839; Köne: „Über die Sprache der röm. Epiker“, Münster 1840; Jacob: „De usu numeri pluralis apud poetas“, Numburg 1841; Dieterich: „Quaestiones grammaticae“, Freiberg 1841; Schuch: „Der Objectscasus od. Accusativ der lat. besonders poetischen Sprache“, Carlsruhe 1844; Kübler: „De usu infinitivi apud Romanos poetas“, Berlin 1861.

Aliquoties Latinorum et Graecorum dicendi rationem attingunt: G. Bernhardius: „Wissenschaftliche Syntax der Griechischen Sprache“, Berol. 1829; A. Draeger: „Historische Syntax der Lateinischen Sprache“, ed. alt. Lips. 1878; R. Kuehner: „Ausführliche Grammatik d. Griech. Sprache“, Hannov. 1869, et „Ausf. Gr. der Lateinischen Sprache“, Hannov. 1869—70.

De ipso Horatio eiusque ratione grammatica respectu habito scriptorum Graecorum egerunt hi viri docti: G. Ebeling: „De casuum usu Horatiano“, Wernigerod. 1866; Leo Unterberger: „Die syntactischen Gräcismen bei Horaz“, Brixiae 1877; A. Kiesslingius, Orellius-Hirschfelder aliique in editionibus; G. Koch in „Wörterbuch zu den Gedichten des Horaz“, Hannov. 1863.

Quibus accedunt editiones operum Q. Horatii Flacci, quas curaverunt hi viri docti:

R. Bentleius, Lips. 1764, vol. I—II; ed. III. Berol. 1879; Guilh. Dillenburger, ed. V. Bonn. 1867; Fr. Guil. Doering, Lips. 1833; M. Hertz, Berol. 1892: J. Chr. Jahn, ed. VI. (Schmid) Lips. 1855; O. Keller et A. Holder, Lips. 1864, vol. I.; A. Kiessling. Berol. 1884—89, vol. I—III; ed. II. Berol. 1890; K. Lehrs, Lips. 1869; S. Linker, Vindob. 1856; Chr. G. Mitscherlich,

Lips. 1800, vol. I—II; G. H. Mueller, Argentor. 1892; Luc. Mueller, Lips. 1874 et 1883; Od. et Epod. Giessen. 1882; C. W. Nauck, „Oden und Epoden“ ed. III. Lips. 1863; ed. XIII ib. 1889; Orellius-Baiter-Hirschfelder, Berol. 1886, vol. I—II; Fr. Pauly, Lips. 1855; P. H. Peerlkamp. „Carmina“, Harlem. 1834; M. Petschnigg. „Carmina“ Prag. et Lips. 1883; E. Rosenberg. Goth. 1890; H. Schuetz, „Oden und Epoden“ Berol. 1874; ed. II ib. 1880.

Ea vero opuscula, quibus raro usi sumus, suis locis diligenter afferemus.

His ergo virorum doctorum opusculis,[1]) quibus addere debemus librum Ad. Waltzii: „Des variations de la langue et de la metrique d'Horace“, Paris. 1881, nisi ad nostrum propositum accedere possumus, quo ostendamus, in quantum nonnulla in Horatii carminibus, quae inveniuntur a sermone Latino diversa dicendi genera, ad poetas Lyricos Graecos referenda esse videantur.

Quae res ut difficillima est iam eo, quod pauca tantummodo Lyricorum fragmenta nobis servata sunt,[2]) ita multis locis ad certum finem perduci vix poterit, cum Graecorum scriptorum dicendi ratio etiam solutae orationis multo liberior sit quam Latinorum eaque de causa discrimen inter poeticam Lyricorum et solutam orationem multo difficilius statui possit. (cf. G. Hermanni op.: „De differentia pr. et p. or. disp.“, Lips. 1803.)

Jam sufficiat, si nobis contigerit uni vel alteri, qui in Horatii carminibus exstant, locorum difficilium lucem afferre Graecisque verbis collatis novis quasi radiis illustrare; nam asseverare licet, neminem Horatii carmina unquam recte intellecturum esse, nisi qui item Graeca didicerit naviter imprimisque poetas Graecos sedulo tractaverit. Quaestionem vero ab Horatio non coercendam esse censuimus ad solos libros

---

[1]) Inspicere me vero non licuit opp. Lundii: „De parallelismo syntaxis Graecae et Latinae“, Kopenhag. 1845; A. Moelleri: „Parallel-Syntax der Gr. und Lat. Spr.“, I. Casuslehre, Jenae 1850; A. Heidelberg.: „System d. Gr. und Lat. Syntax, I.“ Norden. 1857.

[2]) Illis quadringentis ca. vv. Bacchylidis nuper in Aegypto repertis nondum editis quod uti non potui, valde doleo.

odarum et librum epodon, sed etiam ad libros sermonum et epistularum, cum iam constet, Horatium non unum uno eodemque tempore artis poeticae genus sed plures simul tractavisse. Denique in Lyricorum locis afferendis usi sumus, nisi alia notatur, editione „Anthologiae Lyricae", quam post Th. Bergkium quartum curavit Eduardus Hiller, Lips. 1890 in lucem em.

De nominativo et vocativo.

Nominativus a poetis Graecis non raro loco vocativi usurpatur, etsi vocativus propriam a nominativo diversam formam habet; quae res in solos poetas cadit; nam scriptores solutae orationis nominativo numquam utuntur, si vocativo propria forma est; sed etiam apud poetas nominativus loco vocativi in nominibus propriis raro invenitur. (Conf. Krueg. Gr. Gr. § 54, 2, a. 6; Kuehner Ausf. Gr. Gr. v. II. p. 43 § 357.)

Apud poetas Lyricos nominativum nominis proprii loco vocativi positum invenimus his locis: Pindar. Ol. VI, 22:[1]) ὦ Φίντις, ἀλλὰ ζεῦξον ἤδη μοι σθένος ἡμιόνων; frgm. 54 (46): ὦ ταὶ λιπαραὶ καὶ ἰοστέφανοι καὶ ἀοίδιμοι, Ἑλλάδος ἔρεισμα, κλειναὶ Ἀθᾶναι, δαιμόνιον πτολίεθρον (Bergk. sec. Arist. Equ. 1329, Boekh. αἵ τε); frg. mel. a. 80, 4: Αἶσα καὶ Κλωθὼ Λάχεσίς τ', εὐώλενοι κοῦραι; Scol. 10, 2 (p. 324): φίλταθ' Ἁρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων; conf. Theocr.[2]) 4, 46: σίτθ', ἁ Κυμαίθα, ποτὶ τὸν λόφον; 5, 102: οὐκ ἀπὸ τᾶς δρυός, οὗτος ὁ Κώναρος ἅ τε Κιναίθα. Nominativus vero loco vocativi et vocativus uno eodemque enuntiato se excipiunt in Pind. Pyth. 11, 1: Σεμέλα μὲν Ὀλυμπιάδων ἀγυιᾶτις, Ἰνὼ δὲ Λευκοθέα ποντιᾶν ὁμοθάλαμε Νηρηίδων, ubi ἀγυιᾶτις, ut scholiasta adnotat, dicitur „ἀντὶ τοῦ σύνοικε". Eodem modo nominativus cum vocativo coniunctus legitur in Scol. 10, 2 loco iam all. et in Theocrit. 8, 65: ὦ Λάμπουρε κύων (Chr. Zieg. κύον); conf. Eurip. Andr. 348: ὦ τλήμων ἄνερ.

Deinde nominativus substantivi vel adiectivi loco vocativi invenitur his locis: Pind. Nem. 3, 76: χαῖρε, φίλος; cf. Pyth. 1, 92,

---

[1]) Cf. Th. Bergk.: Poetae Lyrici Graeci, ed. III. t. I; Aug. Boekh: Pind. op. omn. Lips. 1819, vv. I—III.

[2]) Cf. A. Th. Hermann Fritsche „Theokrits Idyllen", 2. Aufl., Lips. 1869.

ubi Hermann. Christ. scribunt ὦ φίλος, libri ὦ φίλε; Sappho frg. 57, 1: στᾶθι κ(άτ)αντα φίλος (ubi vid. Bergk. adn. in ed. IV. ad h. l.); saepissime hic usus exstat apud Theocritum; conf. 4, 45: σίτθ', ὁ λέπαργος; 8, 67: ταὶ δ' ὄϊες, μηδ' ὕμμες ὀκνεῖθ' ἁπαλᾶς κορέσασθαι ποίας; 1, 151: αἱ δὲ χίμαιραι, οὐ μὴ σκιρτασεῖτε; 5, 100: σίττ' ἀπὸ τᾶς κοτίνω, ταὶ μηκάδες; 5, 110: τοὶ τέττιγες, ὁρῆτε τὸν αἰπόλον; Συρ. 13: ὦ βροτοβάμων; 23, 62: χαίρετε τοὶ φιλέοντες; 23, 63: στέργετε δ' οἱ μισεῦντες, sed ex coniectura; codices habent οἱ μες εὔητες, lectio vulg. ὕμμες αἶται.

Denique a Graecis constanter ponitur nominativus pro vocativo in nominibus vel adiectivis, quae appositionis instar vocativo adduntur (cf. Kuehner Ausf. Gr. Gr. v. II. p. 42, 5); sic dicitur a Theognide v. 69: Μήποτε, Κύρνε, κακῷ πίσυνος βούλευε σὺν ἀνδρί; sed conf. Theocrit. 18, 9: οὕτω δὴ πρωϊζὲ κατέδραθες ὦ φίλε γαμβρέ; Scolior. frgm. 4, 1: ὦ Πάν, Ἀρκαδίας μεδέων κλεεννᾶς; ibid. 4, 4: ὦ Πάν, ἐπ' ἐμαῖς εὐφροσύναισι, ταῖς δ' ἀοιδαῖς κεχαρημένος; cf. Alcaei 28, 1 (Bergk. ed. IV. p. 158): Ἄρευ, δαΐφοβος δαΐκτηρ, pro quibus verbis E. Hiller scripsit cum Blass: Ἄρευ, δι' ὃν φόβος δαϊκτήρ. Hermannus quidem in praef. ad Euripid. Andr. p. 14 contendit, omnibus locis, quibus nominativus loco vocativi exstet, nominativum „non alloquentis et compellantis esse, sed declarantis et exclamantis" (conf. etiam Hermann. ad hymn. in Apoll. 14); atque negari nequit, multis locis nominativum exclamantis esse (conf. Kuehner A. Gr. Gr. v. II. § 356, 3), sed ex locis, quos congessimus (ex gr. Pind. Nem. 3, 76; Alcae. 28, 1) elucet, hanc regulam exceptiones admittere; alia exempla cong. Passow. Lex. Gr. II. 2, p. 2597.

Non tam frequens ut apud Graecos nominativi loco vocativi usus est apud Latinos, quod iam ex eo cognosci potest, quod Latini in sola altera declinatione propria vocativi verborum in „us" desinentium forma uti possunt, dum in reliquis omnibus nominativus vocativi vices gerit. Adhibent vero scriptores Latini etiam in his vocibus nominativum pro vocativo praesertim, si magno dicendi genere utuntur; quem in modum paucis exemplis usurpatur etiam a scriptoribus solutae orationis posterioribus; conf. Liv. 8, 9: agedum pontifex publicus populi Romani, praei verba; 8, 9, 4: et Phoebus pater et severa

Pallas et Musae, procul ite, feriate; Plin. 7, 31 extr.: salve primus omnium parens patriae appellate, primus . . . merite; sed his locis exceptis soli poetae hanc dicendi rationem sibi indulserunt (conf. Kuehner Ausf. L. Gr. I. p. 280 s. 7 et 8, § 103).

Jam vero, ut de Horatio verba faciamus, nominativus quidem nominis proprii loco vocativi invenitur in A. p. v. 292: vos, o Pompilius sanguis, carmen reprehendite; sed in h. v. vocativum „o Pompilius sanguis“ tamquam appositionem esse ad pronomen „vos“ statuendum est hoc sensu „vos, qui Pompilius sanguis estis“. Idem observari potest in S. 2, 7, 69: quaeres, quando iterum paveas iterumque perire possis, o toties servus, h. e. tu, qui toties servus fuisti; similem rationem inesse locis O. 1, 2, 43: „sive mutata iuvenem figura ales in terris imitaris almae filius Maiae“ et A. p. v. 327:[1]) „dicas filius Albini“ editores et interpretes nonnulli contendunt; alii hanc dicendi licentiam ad exemplum Graecorum revocandam esse putant; sed ex sermone Latino satis explicari potest. Quod valet etiam de locis O. 2, 18, 24: revellis agri terminos et ultra limites clientium salis avarus? et S. 2. 4, 5: sed des veniam bonus, oro, ubi „bonus“ eodem modo adhibetur, ut apud Graecos „φίλος“; certe vero Graecorum dicendi rationem spectat S. 2, 2, 107: o magnus posthac inimicis risus!, ubi nominativus exclamationis vim habet.

Contra ea Graeci nonnullis locis attractione quadam usi vocativum loco nominativi adhibent; sed hoc dicendi genus etiam apud poetas rarissimum est, apud scriptores solutae orationis non invenitur (cf. Kuehner Ausf. Gr. Gr. II. p. 45, 6 § 357). E Lyricis unum exemplum afferri potest ex Callimachi frgm. 99, 1 (in schol. Paris. ad Ap. Rh. 2, 866): ἀντὶ γὰρ ἐκλήθης Ἴμβρασε Παρθενίου, i. e.: tu, Imbrase, Imbrasus vocatus es pro Parthenio; alterum et tertium exemplum dat Theocritus; conf. 17, 66: ὄλβιε κοῦρε γένοιο, τίοις δέ με τόσσον; 18, 9: πρωιζὲ κατέδραθες ὦ φίλε γαμβρέ; cf. Euripid. Troad. 1221: σύ τ', ὦ ποτ' οὖσα καλλίνικε μυρίων μῆτερ τροπαίων.

---

[1]) Sed lectio dubia exstat, utrum legamus „dicat“ cum codd. et vulg., an „dicas“, quod Bentleins proposuit; equidem cum codicibus facio.

Poetae Latini hanc dicendi rationem saepius imitati sunt (conf. Kuehner A. L. Gr. II. p. 191 § 69, 5; Krueger L. Gr. § 299, 2; § 670, 14); ex Horatii carminibus duos locos afferre possumus: Epi. 1, 16, 59: „Jane pater“ clare, clare cum dixit „Apollo“; S. 2, 6, 20: Matutine pater, seu Jane libentius audis, i. e. seu Janus libentius (audis-) appellaris; conf. Tib. 1, 7, 53: sic venias hodierne; Verg. Aen. 2, 283: quibus, Hector, ab oris exspectate venis?, ubi vox „exspectate“ ab antecedente vocativo „Hector“ attrahitur.

His locis adnumerandus est etiam ille S. 1, 2, 31: macte virtute esto; recte enim dicendum erat: tu mactus virtute esto; sed omisso pronomine, quod ex verbo suppleri potest, adiectivum (vel potius participium) praedicato additum in subiecti locum substituitur et in vocativo ponitur; alia exempla e poetis et scriptoribus solutae orationis collegit Kuehner Ausf. L. Gr. II. p. 192 § 69, 5, 3.

De genetivo.

Scriptores Graeci multa verba cum genetivo coniungunt, cuius loco Latini ablativum vel ablativum cum praepositione coniunctum vel saltem rarius genetivum adhibent. Et primum disputabimus de verbis, quae copiam vel inopiam significant ut ex. gr. πληροῦν, πιμπλάναι, μεστοῦν, πλουτεῖν, δεῖσθαι, ἀπορεῖν κ. τ. λ. Graeci haec verba omnia cum genetivo coniungunt (conf. Kuehner A. Gr. Gr. II. p. 304 s. § 417, 2). E Latina vero dicendi ratione verba copiae et inopiae ablativum requirunt et cum ablativo, si solum verbum „indigere“ excipias, quod saepius cum genetivo coniungitur, longe maior etiam locorum numerus adhibitus invenitur (conf. Kuehner A. Lat. Gr. II. p. 342 § 86, 8).

Iam quod ad Horatium attinet, dicendum est, eum a sermone aureae aetatis, quae vocatur, non discedentem omnia verba, quae huc pertinent, ut complere, explere, scatere, satiare, privare, nudare semper cum ablativo coniungere, verbum autem „egere“ duobus tantummodo locis cum ablativo (cf. O. 1, 22, 2: non eget Mauris iaculis et Epi. 1, 10, 11: pane egeo), reliquis cum genetivo, quod certe fecit Graecorum consuetudinem

secutus; sic Lyrici dicunt „ἐπιδεύεσθαί τινος“ ut Mimnermus frg. 2, 13 (p. 31): παίδων ἐπιδεύεται; Theogn. 942: σοφίης οὐκ ἐπιδευόμενον; cf. Theocr. 30, 33: σμίκρας δεύμενον αὔρας ὀνέμων (codd. δευόμνον); χρῆσθαί τινος; Anacreon 80, 2: στέγης τε μοῦνον καὶ πυρὸς κεχρημένοις; Asius 1, 3 (p. 30): ζωμοῦ κεχρημένος, ubi verbum χρῆσθαι singularem vocis „ἐπιδεύεσθαι“ significationem accipit, quae paucis tantummodo locis tempore perfecto invenitur; χρηΐζειν τινός Phocylid. 5, 1 (p. 58) χρηΐζων πλούτου; deinde πλουτεῖν τινος Pindar. Pyth. 2, 56: τὸ πλουτεῖν δὲ σὺν τύχᾳ πότμου σοφίας ἄριστον; κορεννύναι τινός; Theogn. 1249: κριθῶν ἐκορέσθης (sed conf. 751: πλούτῳ κεκορημένος et 1269: κριθαῖσι κορεσθείς, ubi dativus, qui instrumenti dicitur, exstat;[1]) sed hic usus rarissimus est); Theocr. 8, 67: ἁπαλᾶς κορέσασθαι ποίας; 17, 28: ἐπεὶ δαίτηθεν ἴοι κεκορημένος ἤδη | νέκταρος εὐόδμοιο; πιμπλάναι τινος Theogn. 9: ὀδμῆς; πλήθειν τινός Theocr. 8, 41: παντᾷ δὲ γάλακτος | οὔθατα πλήθουσιν; cf. 27, 24: ἀνίας.

Cum quibus locis conferri possunt Horatii: O. 4, 8, 10: nec tibi talium res est aut animus deliciarum egens; Epo. 17, 66: egens benignae Tantalus semper dapis; Epi. 1, 1, 102: nec curatoris egere; 1, 17, 22: quamvis fers te nullius egentem; 1, 18, 67: si quid monitoris eges tu; 2, 3, 202: si plausoris eges aulaea manentis; S. 1, 1, 59: at qui tantuli eget; 1, 4, 118: dum custodis eges; A. p. 154: fautoris eges; Epi. 1, 6, 39: eget veris.

Deinde transeamus ad aliud genetivorum genus ab Horatio ad Graecorum exemplum adhibitum; poetae Graeci enim verba, quae significant „desistere, abstinere aliqua re“ vel „liberare (ab) aliqua re“ cum genetivo coniungunt (cf. Kuehner Gr. Gr. II. p. 341, 3 § 421, 3). Contra ea Latini his verbis ablativum solum vel cum praepositione coniunctum addunt (cf. Kuehner L. Gr. II. p. 268, 4 et 5 § 80; Krueger. L. Gr. 47, 13); qui

[1]) Invenitur hic dativus etiam in hymni ad Cererem v. 175: ἄλλοντ' ἂν λειμῶνα κορεσσάμεναι φρένα φορβῇ; sed acutius quam verius Franke „De hymni in Cererem compositione, dictione“ (1881) in hoc loco tractando discrimen inter genetivum et dativum intercedere putat hoc: „κορέσσασθαι φρένα φορβῆς“, inquit, „dicuntur, qui mentem herbis satiant i. e. complent; contra κ. φ. φορβῇ metaphorice dicuntur, qui pascenda herba (proprie herbarum ope, dat. instr.) mentem s. = cupidinem edendi explent“.

dicendi usus temporibus bonorum scriptorum sine ulla fere exceptione semper viguit; poetae vero, in quorum numero inprimis nominandi sunt poetae temporis Augustei et posteriores, hanc dicendi rationem multis locis deserentes ad Graecorum loquendi usum se applicaverunt; poetas postea secuti sunt inde a temporibus Livii scriptores solutae orationis (cf. Kuehner L. Gr. II. p. 347).

Apud Lyricos Graecos saepissime cum tali genetivo leguntur verba „ἀπέχειν“ et „λήγειν“; *a)* ἀπέχειν τινός apud Pindar. Isth. 4, 28 (3, 46): οὐδὲ παναγυρίων ξυνᾶν ἀπεῖχον καμπύλον δίφρον; Ol. 2, 69 (76): ἀπὸ πάμπαν ἀδίκων ἔχειν ψυχάν; Praxill. 3, 2 (p. 271): τῶν δειλῶν δ' ἀπέχευ: Theocr. 22, 174: χεῖρας ἐρωήσουσιν ἀποσχομένω ὑσμίνης (Ahrens cum cod. D et Junt. ἀπεχθομένης); cf. Pseudepigraphor. carm. Phocylid. 1, 6 (p. 331): τῶν δ' ἀλλοτρίων ἀπέχεσθαι; 1, 35: ἀγροῦ γειτονέοντος ἀπόσχεο; 1, 76: αἰσχρῶν δ' ἔργων ἀπέχεσθαι; 1, 145: τῶν λωβητῶν δ' ἀ.; 1, 149: μαγικῶν βίβλων ἀ.; *b)* λήγειν τινός in carm. popular. 17, 1 (p. 315): Λήγει μὲν ἀγὼν τῶν καλλίστων ἄθλων; Theogn. 999: δείπνου δὴ λήγοιμεν; Theocr. 1, 127: λήγετε βουκολικᾶς, Μοῖσαι, ἴτε, λήγετ' ἀοιδᾶς. qui v. repetitur 1, 131; 137; 142; *c)* παύεσθαί τινος apud Jon. 1, 8 (p. 125): παυσάμενοι δὲ βοῆς; Theogn. 844: παυσάμενοι πόσιος; [cf. 1323: παῦσόν με πόνων; 1325: μερμήρας δ' ἀπόπαυε κακάς]; Simonid. 144, 1 (p. 257): τόξα τάδε πτολέμοιο πεπαυμένα δακρυόεντος; Theocr. 29, 40: παυσάμενος χαλέπω πόθω; cf. μεθιέναι in Tyrtaei 10, 44: μὴ μεθιεὶς πολέμου; *d)* εἴκειν, ἀπερύκειν τινός apud Theogn. 936: χώρης εἴκουσιν; Tyrtae. 10, 42: εἴκουσιν χώρης οἵ τε παλαιότεροι; Pseudepigraph. carm. Phocylid. 1. 220: εἴκειν δὲ γέρουσιν | ἕδρης καὶ γεράων πάντων; Theogn. 775: ἀπέρυκε τῆσδε πόλεος; cf. 1210: πατρῴης γῆς ἀπερυκόμενος.

Quibus verbis apud Horatium — in carminibus tantum — respondent „abstinere“ et „desinere“; conf. O. 3, 27, 69: abstineto irarum calidaeque rixae; O. 4, 9, 38: vindex avarae fraudis et abstinens ducentis ad se cuncta pecuniae; tribus vero locis legitur „abstinere“ cum ablativo: Epi. 2, 3, 170: inventis miser abstinet; 2, 3, 379: campestribus abstinet armis; S. 2, 3, 154: abstinuit uxore et gnato; itidem more Graeco „desinere“ cum genetivo coniungitur: O. 2, 9, 17: desine mollium tandem querelarum.

Deinde duobus locis apud Theogn. et Theocr. exstat verbum „λύειν“ c. gen.; Theog. 1339: ἐκλέλυμαι δὲ πόθου; Theocr. 23, 39: λῦσον τῶ σχοίνω με; semel apud Theogn. legitur χαλάζειν τινός v. 1306: χάλασον | δεσμοῦ; cf. ἀφέλκω (abstraho): Archiloch. 4, 2: κοίλων πώματ' ἄφελκε κάδων; eodem modo Horatius verbum „solvere“ cum genetivo posuit in O. 3, 17, 16: cum famulis operum solutis. Verba denique, quibus notio liberandi inest, apud Lyricos exstant haec: *a)* ῥύεσθαί τινος in Simonid. frgm. 82, 2: κείμεθα ῥυσάμενοι [δουλοσύνας]; 5 (195) p. 262: δουλοσύνης στυγερᾶς ῥυσάμενοι πόλιας; 123, 4: ῥύσατο βαρβαρικῆς Δωρίδ' ἁλισκομένην; Menandri 1, 2 (p. 155): πατρίδα δουλοσύνας ῥύσαθ', ὁ δ'ἀφροσύνας; *b)* ἀποστρέφειν τινός in Empedocl. fr. 1, 4 (p. 127): φῶτας ἀπέστρεψεν Περσεφόνης ἀδύτων; *c)* ἀλέξειν τινός in Archiloch. fr. 62, 2: δυς (νῶν) δ'ἀλέξευ προσβαλὼν ἐναντίον; ἐξελαύνειν: Alcae. 89, 1: ἐκ μ' ἔλασας ἀλγέων; cf. etiam χηροῦν in Solon. 32, 26: πολλῶν ἂν ἀνδρῶν ἧδ' ἐχηρώθη πόλις. Etiam huius dicendi usus apud Horatium vestigia exstant in verbo „purgare“ c. gen. adhibito S. 2, 3, 27: et miror morbi purgatum te illius.

Quibus locis nonnulli viri docti, dico Dillenburgerum, Ebelingium l. a. p. 21, Unterbergerum p. 10, addendum esse censuerunt illum O. 2, 13, 38: dulci laborum decipitur; putant enim, locutionem „laborum decipi“ ad similitudinem verborum obliviscendi et cessandi (κλέπτειν, λήθειν τινός) usurpatam esse; cf. frgm. mel. ad. 80, 10: πόλιν τε τάνδε βαρυφρόνων λελάθοιτε συντυχιᾶν; Simonid. 98, 3: παιδὸς φίλου οὔποτε λήσῃ; suo autem iure Bentleius monuit, lectionem „laborum“ codicum deteriorum esse, cuius loco cum optimis scripsit: „decipitur laborem“ eumque multi editores recentiores secuti sunt (cf. Keller Epileg. p. 157 sq.). Hoc loco etiam paucis verbis tangamus necesse est audacissimam dicendi rationem ad exemplum Graecorum formatam in O. 3, 30, 11: et qua pauper aquae Daunus agrestium | regnavit populorum; hoc unico enim loco verbum „regnare“ cum genetivo coniungitur ut apud Graecos „βασιλεύειν, ἄρχειν τινός cet. (cf. Kuehner Gr. Gr. II. p. 336, 2 § 420); similem vero sententiam et structuram habemus in Anacreon. 4, 3: ὅτι τῆς ἐμῆς ψυχῆς ἡνιοχεύεις; Pind. Pyth. 4, 230: βασιλεύς, ὅστις ἄρχει ναός: proprius accedunt loci Anacreon. 6, 4: Ταρτησσοῦ βασιλεῦσαι; Pindar. Ol. 6, 34: ἀνδρῶν 'Αρκάδων ἄνασσε; Pyth. 1, 39: Λύκιε καὶ

Δάλοι' ἀνάσσων Φοῖβε; carm. pop. 46, 1 (p. 319): Ἄλει μύλα ἄλει· καὶ γὰρ Πιττακὸς ἄλει, μεγάλας Μιτυλάνας βασιλεύων; Simonid. 48, 3 (Bergk. ed. IV.): ἄστεος Λεχαίου τ'ἄνασσεν; cf. Theocr. 17, 85: τῶν πάντων Πτολεμαῖος ἀγήνωρ εἷς βασιλεύει (e coniectura Meineck. pro vulg. ἐμβασιλεύει); 21, 60; (ὤμοσα) μενεῖν ἐπὶ γᾶς καὶ τῶ χρυσῶ βασιλεύσειν (ubi praestat fort. cum Ahrens scribere „τῷ χρυσῷ „et auro instar regis victurum esse", ut ait C. Hartung in Philol. v. 24 p. 636).[1])

Difficilius discerni potest, num Horatius Graecorum dicendi usum secutus sit nonnullis locis, quibus adiectiva quaedam cum genetivo coniungit; multa enim adiectiva, ex. gr. quae copiam vel inopiam significant, etiam a scriptoribus solutae orationis cum genetivo usurpantur (cf. Kuehner L. Gr. II. p. 326 § 85 g), etsi negari nequit apud bonos scriptores ea cum ablativo coniungi (cf. Kuehn. L. Gr. § 81, 7); quare si poetae his vocibus et similibus cognatae notionis genetivum adnectunt, de graecismo sermo esse non potest.

Sunt vero duae adiectivorum classes, quae ad Graecorum loquendi usum cum genetivo coniunguntur; prior est eorum, quibus notio „liberum esse (ab) aliqua re" inest; cuius usus apud Lyricos Graecos exempla exstant haec: Pindar. Pyth. 8, 86: κατὰ λαύρας δ'ἐχθρῶν (Bgk. λ. χορῶν) ἀπάοροι πτώσσοντι; Nem. 1, 52: κολεοῦ γυμνὸν τινάσσων φάσγανον; Ol. 3, 24: τούτων (sc. δένδρων) ἔδοξεν γυμνὸς αὐτῶ κᾶπος ὀξείαις ὑπακουέμεν αὐγαῖς ἀελίου; Theog. 1177: ἔργων αἰσχρῶν ἀπαθὴς καὶ ἀεργός; frgm. melic. adesp. 46, 2 (p. 304): συμποσίων τε καὶ λυρᾶν ἄμοιρος; conf. Theocr. 30, 18: (ἔμμεναι) ξέννον τῶν χαλέπων παῖδος ἐρώτ [ων καὶ ἐλεύθερον] e coniectura.

Apud Latinos verba, quae attulimus, a bonis scriptoribus cum ablativo vel cum praepositionibus adhibentur; poetae vero temporis Augustei etiam genetivum addunt, quem usum iam Sallustius in linguam Latinam induxit (cf. Draeger Histor. Syntax II. p. 477 § 206); in Horatii carminibus pauca huius usus exempla inveniuntur: O. 1, 22, 1: scelerisque purus (cf.

[1]) Conferri potest μέδειν in Alcaei frg. 2, 1: Κυλλάνας ὃ μέδεις; 75, 1: ὃ γᾶς Σκυθικᾶς μέδεις; Melanippid. 6, 2: τᾶς ἀειζώου ψυχᾶς μεδέων; Scolior. 4, 1: Ἀρκαδίας μεδέων κλεεννᾶς; περικρατεῖν in carm. pop. 50, 23: τὴν δ' οὐχὶ Θηβῶν, ἀλλ' ὅλης τῆς Ἑλλάδος Σφίγγα περικρατοῦσαν.

Sil. Ital. 12, 370: tellus pura serpentum); S. 2, 2, 119: operum vacuo (cf. Sall. Jug. 90, 1 Hzg.: frugum); Epi. 1, 12, 7: in medio positorum abstemius; A. p. 212: liberque laborum (cf. Verg. Aen. 10, 154: fati).

Alteram classem efficiunt adiectiva, quae condicionem quandam exprimunt et a Latinis cum ablativo limitationis, qui dicitur, vel relationis, a Graecis cum genetivo coniunguntur. Lyrici tales genetivos addunt adiectivis: ὄρφανος: Pind. Ol. 9, 61: μή καθέλοι νιν αἰὼν πότμον ἐφάψαις ὀρφανὸν γενεᾶς; Isth. 7 (6), 10: καρτερᾶς Ἄδραστον ἄμπεψας ὀρφανὸν μυρίων ἑτάρων ἐς Ἄργος; Isth. (3, 26) 4, 8: λέγονται πρόξενοί τ' ἀμφικτιόνων κελαδεννᾶς τ' ὀρφανοὶ ὕβριος; αἴτιος: Euenus 2, 2 (p. 132): ἔστι γὰρ ἢ λύπης αἴτιος ἢ μανίης; Bacchylid. 22, 2: οὐκ αἴτιος θνατοῖς μεγάλων ἀχέων; ἀντίτυπος: Theogn. 1244: ἦθος ἔχων δόλιον, πίστιος ἀντίτυπον; παρήορος: Archiloch. 53, 5: καὶ νόου παρήορος; μάκαρ: Simm. 7, 1 (Bergk. ed. II. p. 516): ζαθέας μάκαρ ἥβας; ἄδμητος: Bacchylid. 26, 1: οἱ μὲν ἀδμᾶτες ἀεικελιᾶν νούσων.

Apud Horatium eundem dicendi usum reperimus in adiectivis: integer: O. 1, 22, 1; integer vitae; S. 2, 3, 65: integer mentis: S. 2, 3, 220: integer est animi; notus: O. 2, 2, 6: notus in fratres animi paterni; O. 4, 13, 21: nota artium gratarum facies (cf. Stat. Th. 2, 274: notique operum); lassus; O. 2, 6, 7: sit modus lasso maris et viarum militiaeque; serus: S. 1, 10, 21: o seri studiorum (cf. Sil. Ital. 3, 255: belli); felix: S. 1, 9, 11: o te, Bolane, cerebri felicem; huc quoque pertinent loci ut O. 4, 1, 30: iam nec spes animi credula mutui; A. p. 28: nimium timidusque procellae; S. 1, 1, 35: incautus futuri. Apud reliquos poetas hic dicendi usus rarius invenitur; saepius eum adhibuerunt ex posterioribus Statius et Silius Ital.; sed etiam scriptores solutae orationis posteriores non raro hanc Graecanicam dicendi rationem usurparunt; saepissime apud Tacitum invenitur; cf. A. Draeger Syntax d. T. p. 33, ubi adnotat vir doctus haec: Schon Ennius sagt „vitae integer“; Plautus „manifestus mendaci“; Livius und Velleius gehen zwar weiter, aber kein späterer Schriftsteller hat diese willkürliche Übertreibung des Tacitus, die wohl aus dem Einfluss des Griechischen zu erklären ist, sich zum Muster genommen (conf. etiam Kuehn. L. Gr. II. p. 320 b).

Restat, ut de genetivorum genere pauca disputemus, quod in adiectivis locum habet, dico genetivum substantivi ab adiectivo generis neutri dependentem; Graeci enim adiectivis vel participiis generis neutri, maxime si in numero plurali posita sunt, genetivum substantivi addunt, ita ut illa substantivi quodam modo munere fungantur (cf. Kuehner Gr. Gr. II. p. 290 § 414 b). Apud scriptores Latinos superiorum temporum hic usus non invenitur excepto eo, quod pronominibus in genere neutro positis et superlativis quibusdam (ex gr. summum, extremum, ultimum) genetivum adiectivi vel substantivi addiderunt; posterioribus vero temporibus a poetis in linguam Latinam translatus ab his et scriptoribus solutae orationis saepissime usurpatus est (cf. A. Draeger Histor. Syntax I. p. 456). Verum ab Horatio modice ascitus est, qui in Sermonibus (excepto S. 2, 2. 125) solum genetivum „rerum" admisit.

Sed etiam apud Lyricos Graecos certas quasdam verborum coniunctiones invenimus, quae locutionum instar ferebantur; quem in modum saepissime adhibetur adiectivum ἄκρος; sic legimus apud Pind. Nem. 1, 10: ἔστι δ'ἐν εὐτυχίᾳ πανδοξίας ἄκρον; 6, 23 (27): πρὸς ἄκρον ἀρετᾶς ἦλθον; Tyrtae. 12, 43; ἀρετῆς εἰς ἄκρον ἱκέσθαι; Simonid. 41, 6: ἵκῃ τ'ἐς ἄκρον ἀνδρείας; conf. Theocr. 12, 31: κοῦροι ἐριδμαίνουσι φιλήματος ἄκρα φέρεσθαι; 15, 112: ὅσα δρυὸς ἄκρα φέρονται; 15, 142: Ἄργεος ἄκρα Πελασγῶ; Archiloch. 51, 2: ἀμφί δ'ἄκρα Γυρέων; cui accedunt ἔξοχος: Pindar. Ol. 1, 2: ἔξοχα πλούτου; Pyth. 5, 26: ἔξοχ' ἑταίρων; Ol. 8, 23: ἔξοχ' ἀνθρώπων; ἐπιδέξιος: Pind. Pyth. 6, 19: ἐπιδέξια χειρὸς ὀρθὰν ἄγεις ἐφημοσύναν; ἀριστερός: Alcman. 75, 1: ἐπ' ἀριστερὰ χηρὸς ἔχων; λευκός: Herodae 7, 1 (p. 157): γύναι, τὰ λευκὰ τῶν τριχῶν ἀπαμβλύνει τὸν νοῦν; φιλέταιρος: Philisc. 1, 7 (p. 146): ὃς τὸ τ'ἐμῆς ψυχῆς δείξει φιλέταιρον ἅπασιν; κακός: Theog. 289: τὰ τῶν ἀγαθῶν κακά, quibus locis genetivus adiectivi ab adiectivo generis neutri pendet; saepissime etiam superlativis genetivus adiungitur ut in Pindar. Nem. 13, 24: ὕπατ' εὐρυανάσσων Ὀλυμπίας; Pyth. 10, 24: τὰ μέγιστ' ἀέθλων ἕλῃ τόλμᾳ τε καὶ σθένει; Parrhas. 1, 4 (p. 144): πρῶτα φέροντα τέχνης; Astydam. 1, 2 (p. 145): οἷ γλώσσης τερπνῆς πρῶτα δοκοῦσι φέρειν; deinde a participio pendet genetivus in Ariphron. 1, 1 (p. 283): μετὰ σεῦ ναίοιμι τὸ λειπόμενον βιοτᾶς; pronomen denique c. gen. substantivi exstat apud Sapph. 2, 7: φωνᾶς | οὐδὲν ἔτ' εἴκει.

Videmus his locis omnibus genetivum dependere ab adiectivo in casu primo vel quarto posito; apud Horatium vero duo loci inveniuntur, quibus genetivus additur adiectivo in casu sexto adhibito: S. 2, 2, 25; corruptus vanis rerum; S. 2, 8, 83: dumque ridetur fictis rerum; reliquis locis nominativus vel accusativus exstat: O. 2, 1, 23: et cuncta terrarum subacta; O. 4, 12, 19: amaraque curarum eluere efficax; O. 4, 4, 76: per acuta belli; S. 2, 2, 125: explicuit vino contracta seria frontis; Epi. 1, 17, 21: tu poscis vilia rerum; A. p. 49: indiciis monstrare recentibus abdita rerum; quibus accedit ille S. 2, 3, 201: „rectum animi servas", unicus locus, quo Horatius adiectivum gen. n. in numero singulari positum cum genetivo coniungit; quod suo iure fecit; nam vox „rectum" in numero sing. posita proxime accedit ad verbum „animi", ut unam quasi notionem cum eo efficiat; si vero numerum plur. adhibuisset, diversae animi rationes intellegi et discerni possent; quod discrimen etiam apud Graecos observari potest; conf. ἄκρον ἀρετᾶς (Pind.) et ἄκρα φιλήματος (Theocr. l. al.).

Sed iam de genetivo substantivis adnexo disputemus necesse est. Initium capiamus a rarioribus genetivis, quos qualitatis vocant grammatici. Poetae Graeci nominibus propriis et appellativis, quae dicuntur, nudum saepe adiungunt genetivum substantivi, cuius loco Latini substantivum vel adiectivum cum genetivo coniunctum appositionis instar adhibere solent; simplicissima huius usus exempla dant locutiones, quales apud Tragicos et scriptores solutae orationis saepissime inveniuntur ut Διὸς Ἄρτεμις (Soph. Ai. 172), Φάλιος Ἐρατοκλείδου (Thucyd. 1, 24); quibuscum conferri possunt apud Latinos; Hectoris Andromache (Verg. Aen. 3, 319), Oileos Aiax (Ovid. Metam. 12, 622). Graeci vero hac in re multo longius processerunt, ut demonstrant locutiones Comicorum, ex. gr.: φράτορες τριωβόλου,[1]) τῆς πλείστης τοὐβόλου μάζης, ἀδέαι δὲ κώλίγου πυρός.

E Lyricis conferri possunt hi loci: Pind. Ol. 6, 91: γλυκὺς κρατὴρ ἀγαφθέγκτων ἀοιδᾶν; Alcae. 71, 2: ἐν δὲ κέρνατε τῶ μελιαδέος ὄττι τάχιστα κρατῆρα; Alcman. 4, 2: τόνδ' ἐλιχρύσω πυλεῶνα κήρατῶ κυπαίρω. Ad talium similiumque exemplorum imitationem referri

[1]) Conf. Aristoph. Equit. v. 255; Blaydes contra codd.: φράτερες.

debent nonnulli, qui in Horatii carminibus exstant, loci, quibus nominibus propriis genetivus qualitatis adnectitur ut O. 1, 36, 13: neu multi Damalis meri Bassum Threicia vincat amystide; O. 3, 9, 7: multi Lydia nominis; Epo. 5, 42: non defuisse masculae libidinis Ariminensem Foliam; S. 1, 9, 44: Maecenas paucorum hominum et mentis bene sanae; S. 2, 8, 84: Nasidiene, redis mutatae frontis; quod vero ad reliquos scriptores attinet, haec dicendi ratio rarissime invenitur; conferunt quidem editores Cic. ad fam. 9, 26 in fin.: non multi cibi hospitem accipies, sed multi ioci; Ovid. Met. 14, 252: nimiique Elpenora vini; Plaut. Curc. 1, 1, 77: multibiba satque merobiba; sed insolentius Horatius eundem genetivum adiungit nomini appellativo: S. 1, 1, 33: magni formica laboris; de quo loco multis verbis disputaverunt viri docti; sed in eo consentiunt omnes, locutionem „magni formica laboris“ Graecismum esse, dictum pro „formica, quae est (animal) magni laboris“ vel „formica, cum sit magni laboris“ (conf. Ebeling l. a. p. 18; Bernhardy Wissensch. Syntax p. 164).

Ad Graecum dicendi genus etiam revocandus est genetivus vocibus „poculum, cyathus“ additus nominis viri, cuius in gratiam, salutem bibitur; cf. Kuehn. Gr. Gr. II. p. 332, 4; § 419. Apud Graecos huius usus exempla exstant haec: Callimach. Epigr. 31 (29), 1: ἔγχει καὶ πάλιν εἰπέ, Διοκλέος, ubi supplendum est verbum κύαθος; Meleagr. A. P. I. V. 136, 1: ἔγχει καὶ πάλιν εἰπέ, πάλιν, πάλιν, Ἡλιοδώρας; Meleagr. Anth. Pal. I. V. 137, 1 (ed. Duebn.): ἔγχει τᾶς Πειθοῦς καὶ Κύπριδος Ἡλιοδώρας καὶ πάλιν τᾶς αὐτᾶς ἁδυλόγω Χάριτος; Theocr. 2, 151: αἰὲν Ἔρωτος | ἀκράτω ἐπεχεῖτο καὶ ἐς τέλος ᾤχετο φεύγων; 14, 18: ἤδη δὲ προϊόντος, ἔδοξ' ἐπιχεῖσθαι ἄκρατον | ὦ τινος ἤθελ' ἕκαστος; conf. etiam Antiph. Didym. 3: ἐπεχεάμην ἄκρατον, οὐχὶ παιδίου, κυάθους θεῶν τε καὶ θεαινῶν μυρίους.

Latini idem exprimere solebant verbis: Bene te! vel bene tibi! Horatius vero duobus locis Graecam constructionem „ἐπιχεῖσθαί τινος“ admisit: O. 3, 8, 13: sume, Maecenas, cyathos amici sospitis centum; O. 3, 19, 9: da lunae propere novae, da noctis mediae, da, puer, auguris Murenae (i. e. poculum); cf. Alcaei frg. 77, 1 sq.: ἄλλοτα μὲν μελιαδέος, ἄλλοτα δ'ὀξυτέρω τριβόλων ἀρυτήμενοι.

De dativo.

Ingens est numerus verborum, quibus poetae Latini et inprimis Horatius dativum addunt, quem personae vocant grammatici, cuius loco boni solutae orationis scriptores praepositionem cum ablativo vel accusativo adhibent; sed posterioribus temporibus etiam scriptores solutae orationis huic dicendi generi se applicaverunt. Sunt verba, quibus notio iungendi, pugnandi, miscendi, contendendi, dissentiendi, discrepandi inest. De ratione vero huius constructionis haud satis inter grammaticos convenit; alii enim simplicem Graecorum imitationem in his dativis agnoscunt, alii a natura cum linguae Latinae tum casus tertii hunc usum non esse alienum contendunt; quae sententia posteriorum fortasse in verbis dissentiendi et discrepandi locum habet, cum etiam apud bonos scriptores dativum asciscant (cf. Kuehn. L. Gr. II. p. 234, 6 § 76) et dativus praecipue sit relationis, quamquam non negandum est, etiam Graecorum imitationi in talibus constructionibus explicandis aliquid esse tribuendum.

Quod certe valet de verbis pugnandi, certandi similibusque, quae a poetis Graecis fere omnibus locis cum dativo coniunguntur (conf. Kuehner Gr. Gr. II. p. 356 sq. § 423, 11). Apud solum Pindarum hoc modo usurpatur verbum ἐρίζειν: Nem. 5, 39: ἔνθα . . . . σθένει γυίων ἐρίζοντι θρασεῖ; Isth. (3, 47) 4, 29: Πανελλάνεσσι δ' ἐριζόμενοι δαπάνᾳ χαῖρον ἵππων; 8, 27 (7, 60): Ζεὺς ὅτ' ἀμφὶ Θέτιδος ἀγλαός τ' ἔρισαν Ποσειδᾶν γάμῳ (ἔρισαν Heynius c. schol., libri ἔρισας, quod tenet Mommsen); Nem. 8, 22: ἅπτεται δ' ἐσλῶν ἀεί, χειρόνεσσι δ' οὐκ ἐρίζει (φθόνος); Pyth. 4, 285: ἔμαθε δ' ὑβρίζοντα μισεῖν, οὐκ ἐρίζων ἀντία τοῖς ἀγαθοῖς; conf. Anth. Pal. 9, 380: τολμῷεν δ' ἐρίσαι σκῶπες ἀηδονίσιν. Deinde saepissime apud Pindarum et reliquos Lyricos inveniuntur verba „μάρνασθαι, μάχεσθαι, πολεμίζειν τινί; *a)* μάρνασθαι: Pind. Ol. 6, 17: ἀμφότερον μάντιν τ' ἀγαθὸν καὶ δουρὶ μάρνασθαι; Pyth. 9, 21: ἀκόντεσσίν τε χαλκέοις φασγάνῳ τε μαρναμένα κεραΐζειν ἀγρίους θῆρας; Nem. 1, 25: χρὴ δ' ἐν εὐθείαις ὁδοῖς στείχοντα μάρνασθαι φυᾷ; conf. frgm. 29 (24), 1: ἀμφιπόλοισι μαρνάμενον μοιρᾶν περὶ τιμᾶν ἀπολωλέναι; Tyrt. 8, 18: ἀνδράσι μαρνάμενοι; Simonid. 92 (Inc. 2.), 4: πλείστοις Ἑλλάνων ἀντία μαρνάμενοι; 89, 2: μαρνάμενοι Μήδων τοξοφόρων προμάχοις;

b) μάχεσθαι: Pind. Nem. 1, 67 (μάχην ἀντιάζειν): ὅταν θεοὶ ἐν πεδίῳ Φλέγρας Γιγάντεσσιν μάχαν ἀντιάζωσιν; Simonid. 3, 16: ἀνάγκᾳ δ' οὐδὲ θεοὶ μάχονται; 77, 1: μυριάσιν ποτὲ τῇδε τριακοσίαις ἐμάχοντο; cf. Alc. 36, 3 (συμμαχεῖν): μέγαν ἆθλον Βαβυλωνίοις συμμαχεὶς τέλεσας; Callini 1, 6: μάχεσθαι . . . (v. 8) δυσμενέσιν; Tyrtaei 8, 13: θυμῷ γῆς πέρι τῆσδε μαχώμεθα, ubi θυμῷ adverbii loco positum est; conf. etiam Tyrt. 9, 36: πτώσσοντες μεγάλοις βάλλετε χερμαδίοις; Anacreonteor. (p. 345) 21, 6: τί μοι μάχεσθ', ἑταῖροι, καὐτῷ θέλοντι πίνειν; *c)* πολεμίζειν: Pind. Ol. 9, 32: ἤρειδεν δέ νιν ἀργυρέῳ τόξῳ πολεμίζων Φοῖβος (Bgk. c. Thierschio πελεμίζων); Anacreon. 53, 1: σινάμωροι πολεμίζουσι θυρωρῷ; Theocr. 22, 212: οὕτως Τυνδαρίδαις πολεμιζέμεν οὐκ ἐν ἐλαφρῷ; 22, 171: εἰ δ' ὑμῖν κραδίη πόλεμον ποθεῖ; quibus accedit παλαίειν: Pind. Pyth. 9, 27: κίχε νιν λέοντι ποτ' εὐρυφαρέτρας ὀβρίμῳ μούναν παλαίοισαν ἄτερ ἐγχέων; Nem. 8, 27: χρυσέων δ' Αἴας στερηθεὶς ὅπλων φόνῳ πάλαισεν; συμβάλλειν: Simonid. 123, 2: Μήδοις σύμβαλον; γαρύειν: Theocr. 1, 136: κὴξ ὀρέων τοὶ σκῶπες ἀηδόσι γαρύσαιντο; δηρίεσθαι; Pind. Ol. 13, 45: δηρίομαι πολέσιν περὶ πλήθει καλῶν; διακρίνεσθαι; Theocr. 22, 175: νῶϊ . . . διακρινώμεθ' Ἄρηϊ (cf. Iliad. 2, 385: στυγερῷ κρινώμεθ' Ἄρηϊ); νείκειν: Theocr. 1, 34: ἀμοιβαδὶς ἄλλοθεν ἄλλος | νεικείουσ' ἐπέεσσι; νεῖκος ἄγειν: Pind. Pyth. 9, 31: θαύμασον, οἷον ἀταρβεῖ νεῖκος ἄγει κεφαλᾷ; νεῖκος ἔχειν: Isth. 7 (6), 35: ἔνθ' ἄριστοι ἔσχον πολέμοιο νεῖκος ἐσχάταις ἐλπίσιν.

Sed ut iam ad Latinos nos vertamus, hic usus apud solos poetas invenitur (conf. Draeger Hist. Syntax I. p. 406 § 184); primus vero, qui hunc Graecismum in linguam Latinam transtulit, non Catullus fuit (c. 62, 64), ut Draeger p. 406 adnotat, sed Lucretius, qui 3, 7 dicit haec: quid enim contendat hirundo cycnis? eumque secuti sunt poetae posteriores; Horatio et reliquis poetis temporis Augustei communia sunt verba certare, pugnare compositaque cum dativo coniuncta; *a)* certare: O. 2, 6, 15: viridique certat bacca Venafro (cf. Verg. Ecl. 5, 8: solus tibi certet Amyntas; 8, 54: certent ut cycnis ululae; Ge. 2, 138: laudibus Italiae certent); Epo. 2, 20: certantem et uvam purpurae; 11, 18: desinet imparibus certare; S. 2, 3, 313: et tanto (dat.) certare minorem; 2, 5, 19: certans semper melioribus; O. 1, 3, 13 (decertare); timuit praecipitem Africum decertantem Aquilonibus; *b)* pugnare: S. 1, 2, 73: meliora

monet pugnantiaque istis (cf. Verg. Aen. 4, 38: placitone etiam pugnabis amori?; 11, 600: et pressis pugnat habenis; Ovid. Meta. 1, 19: frigida pugnabant calidis, humentia siccis); deinde apud Horatium et poetam posteriorem, qui saepius illum imitatus est, Silium Italicum, invenitur verbum „luctari“ c. dat.: O. 1, 1, 15: luctantem Icariis fluctibus Africum (cf. Sil. Punic. 4, 592: luctantemque vado permixta morte coercet; 14, 454: crudo luctari pelago); ab Horatio vero solo usurpatur „altercari“; S. 2. 7, 57: altercante libidinibus tremis.

Non minus usitatus est apud Graecos dativus verbis miscendi et iungendi adnexus (cf. Kuehner Gr. Gr. II. p. 354 § 423, 8); saepissime a Lyricis hoc modo adhibetur verbum μιγνύναι (et συμμιγνύναι): Sapph. 18, 1: παντοδαπαῖς μεμιγμένα χροΐαισιν; Alcae. 2, 3: Μαῖα γέννα(το) Κρονίδᾳ μιγεῖσα παμβασιλῆι; 5, 3: χρυσοκόμᾳ Ζεφύρῳ μιγεῖσα; Simonid. 3, 22: τοῖσί τ' αἰσχρὰ μὴ μέμικται; 16, 1: ἐλαφρὸν ὄρχημ' ἀοιδᾷ ποδῶν μιγνύμεν; Pind. Pyth. 2, 45: (ὃς) ἵπποισι Μαγνητίδεσσιν ἐμίγνυτ' ἐν Παλίου σφυροῖς; Pyth. 9, 13: γάμον μιχθέντι κούρᾳ θ' Ὑψέος (l. v. μιχθέντι, Bgk. δαχθέντι); Pyth. 3, 14: πρόσθεν ἀκερσεκόμᾳ μιχθεῖσα Φοίβῳ; frg. 184 (215), 3: ὅθι τράγοι γυναιξὶ μίσγονται; cf. Isth. 2, 78; Ol. 6, 29; 7, 71; Pyth. 9, 84; 4, 257; Nem. 2, 22; Callimach. 48, 1 (Bergk. ed. II. p. 148): Κρηνέων τ' Εὐρώπῃ μισγομένων ἑκατόν; conf. Pseudophocylid. 1, 181: πατρὸς λεχέεσσι μιγείης; 1, 198: βίῃ κούρῃσι μιγείῃ; συμμιγνύναι: Sapph. 5, 3: συμμεμιγμένον θαλίαισι νέκταρ οἰνοχοεῦσα; Solon. 33, 2: οἱ δὲ συμμεμιγμένους | γούρους φακοῖσι; Theog. 35: ἢν δὲ κακοῖσιν συμμίσγῃς; conf. 193: σὺν γὰρ μίσγεται ἐσθλὰ κακοῖς; 64: χρῆμα δὲ συμμείξῃς μηδενί; 1165: τοῖς ἀγαθοῖς σύμμισγε, ubi verbum συμμιγνύναι intransitive adhibetur; deinde apud Theognidem, Anacreontem, Bacchylidem, Timotheum exstat compositum ἀναμιγνύναι c. dat.; cf. Anacr. 73, 1: λευκαὶ μελαίναις ἀναμεμίξονται τρίχες; Bacchylid. 18, 4: ἀμμιγνυμένα Διονυσίοισι δώροις; Timoth. 3, 3: ἀνέμισγε δ' αἷμα.. δακρύοισι; Theog. 961: ὕδωρ δ' ἀναμίσγεται ἰλυῖ; a solo Theognide usurpatur (προς) ὁμαρτεῖν: 609: ὅτῳ ψεῦδος προσομαρτῇ | ἀνδρί; 1165: κακοῖσι δὲ μήποθ' ὁμάρτει; eidem etiam proprium est συνεῖναι; cf. 668: τοῖς ἀγαθοῖσι συνών et ἀνακοινοῦν; cf. 73: φίλοισιν ὁμῶς ἀνακοινέο πᾶσιν; usitatius autem apud Lyricos est ὁμιλεῖν, προσομιλεῖν τινι ut apud Sophoclem 3, 2: σοὶ δὲ . . . Βορρᾶς ὡμίλησε; Anacreont. 19, 4: ἀρτοπώλισιν | κ'

ἀθελοπόρνοισιν ὁμιλέων; Simonid. 31, 1: ὁμιλεῖ δ' ἄνθεσιν; Bacchylid. 23, 3: δειλοῖσιν ἀνθρώπων ὁμιλεῖ; Theog. 37: ἀγαθοῖσιν ὁμίλεε; 597: ἀτάρ τ' ἄλλοισιν ὁμίλει | ἀνδράσιν; conf. v. 1243; 1377: δειλοῖσιν ὁμιλεῖς ἀνδράσι; 31 (προσομιλεῖν): κακοῖσι δὲ μὴ προσομίλει ἀνδράσιν et paulo alio sensu 216: τῇ προσομιλήσῃ; denique apud Tyrtaeum eodem sensu legitur μετεῖναι c. dat. 8, 7: ἐχθρὸς μὲν γὰρ τοῖσι μετέσσεται.

Apud Latinos quidem verba, de quibus agitur, si transitive adhibentur, ex. gr. „miscere aliquid" etiam a bonis scriptoribus cum dativo coniunguntur; si vero intransitive usurpantur et significant „se miscere, se iungere" ablativum cum praepositione coniunctum habent; poetae igitur, si etiam verbis intransitive adhibitis dativum addunt, id Graecos imitati faciunt (conf. Kuehner L. Gr. II. p. 234 § 76, 6); sic Horatius verbo „miscere" utitur in vini mixtione describenda O. 3, 19, 12: tribus aut novem miscentur cyathis pocula commodis (conf. Critiae fr. 7, 6: ὕδωρ οἴνῳ συμμιγνύμενον κυλίκεσσιν); S. 1, 10, 24 (commiscere): ut Chio nota si commixta Falerno est; deinde de instrumentis ad usus canendi aptatis: O. 4, 1, 22: lyraeque et Berecynthiae delectabere tibiae mixtis carminibus; Epo. 9, 5: sonante mixtum tibiis carmen lyra, hac Dorium, illis barbarum; O. 1, 2, 24 (permiscere): et lituo tubae permixtus sonitus; quibus locis accedit O. 4, 11, 10: cursitant mixtae pueris puellae; S. 2, 8, 45: his mixtum ius est; (conf. Verg. Ae. 1, 440: inferre se . . . | miscetque viris); deinde eodem modo adhibetur verbum „iungere", O. 1, 4, 6: iunctaeque Nymphis Gratiae decentes; O. 1, 33, 8: sed prius Appulis iungentur capreae lupis; O. 3, 19, 17: Gratia nudis iuncta sororibus; Ep. 1, 5, 26: ut coeat par iungaturque pari; idem valet de verbo „geminare" in A. p. 12 s.: sed non, ut placidis coeant immitia, non ut serpentes avibus geminentur, tigribus agni, ubi etiam „coire" ad Graecam dicendi rationem cum dativo coniungitur, et de voce „sociare" in O. 4, 9, 4: verba loquor socianda chordis.

Sed his iam exemplis ad aliud dativi genus adducimur, quod in verbis passivis locum habet; scriptores Graeci enim verbis passivis non raro dativum personae, de qua agitur, loco genetivi cum praepositione coniuncti adnectunt; quem usum apud poetas in omnibus verbi formis invenimus; verum apud

scriptores solutae orationis formis quidem temporis perfecti et ab hoc derivatis talis dativus saepissime adiungitur, rarius reliquis formis exceptis participiis futuri passivi in τέος et τός desinentibus, quae omnibus locis dativum adnexum habent; cf. Kuehner. Gr. Gr. II. p. 368 § 424 c.

8. Helmer Hans, Wien.
9. Kessler Alfred, Wien.
10. Kleedorfer Andreas, Hadres.
11. **Öhl Wilhelm**, Wien.
12. Pabeschitz Alfred, Marchegg.
13. Reichel Karl, Stanislau in Galizien.
14. Schade Heinrich, Kadolz.
15. **Schier Franz**, Resicza in Ungarn.
16. Stöhr Josef, Wien.
17. Tugendsam Karl, Melk.
18. Wally Alois, Melk.
19. Zeller Ignaz, Fritzberg.

V. Classe.

1. Drischel Eugen, Friedland in Mähren.
2. Forst Hugo, Wien.
3. Friderici Hugo, Vordernberg in Steiermark.

4. **Glanz Anton**, Alberndorf.
5. Gstöttner Otto, Brixlegg in Tirol.
6. Hartwich Max, Wien.
7. **Helfert Emerich**, Neunkirchen.
8. **Himmelbauer Ernest**, Stockerau.
9. Kirchner Gregor, Rabenstein-Tradigist.
10. Kittinger Othmar, Rudolfsheim.
11. Kretzer Ludwig, Traisen.
12. Lillie Franz, Amstetten.
13. Lindenthal Hugo, Efferding in Oberösterreich.
14. **Muthsam Rudolf**, Tulln.
15. Odelga Paul, Wien.
16. Petrinschek Robert, Wien.
17. **Preyß Franz**, Ober-Markersdorf.
18. Ryppař Karl, Pottenstein.
19. **Schmid Eugen**, Schwechat.
20. Schöffel Hugo, Padochau in Mähren.
21. **Schwaigart Karl**, Mank.
22. Tepser, Edler von, Friedrich, Breitensee.
23. Tiefenbacher Alexander, Schwechat.
24. *Tutter Eugen, Wien.
25. Wagner August, Steyr in Oberösterreich.
26. Wala Franz, Beraun in Böhmen.

VI. Classe.

1. Fürst Bernhard, Neumarkt.
2. Harvalik Josef, Triest im Küstenlande.
3. Höbarth Franz, Gföhl.
4. Hummel Josef, Melk.
5. **Junk Rudolf**, Wien.
6. **Kattus Johann**, Wien.
7. **Kaudelka Hugo**, Erdberg in Mähren.
8. Lux Paul, Wolkersdorf.
9. **Müller Friedrich**, Retz.
10. Novotny Franz, Pöchlarn.
11. Petschann Anton, Ungarschitz in Mähren.
12. Peyerl Friedrich, Loosdorf.
13. Pramberger Julius, Pöchlarn.
14. **Rudy Franz**, Hosterschlag in Böhmen.
15. Sc[illegible]il Victor, Wien.

16. Schüler Johann, Lemberg in Galizien.
17. Widerhofer Leopold, Weyer in Oberösterreich.
18. Willigens Josef, Luxemburg in Luxemburg.
19. **Wortner Karl**, Wien.

VII. Classe.

1. Arnold Ernest (Rudolf Hugo), Wien.
2. Blauensteiner Leopold, Wien.
3. Fridthum Anton, Wullersdorf.
4. Gaudernak Franz, Ybbs.
5. **Herbst Rudolf**, Prag in Böhmen.
6. Hütter Eduard, Wien.
7. Jelinek Theodor, Scheibbs.
8. Kain Rudolf, Weyer in Oberösterreich.
9. **Kaudelka Alfred**, Erdberg in Mähren.
10. Kern Arnold, Wien.
11. Kramer Emanuel Karl, Wien.
12. Kronberger Felix, Obersulz.
13. **Löwenfeld Walther**, Wien.
14. **Pann Otto** Ludwig, Wien.
15. **Riegler Friedrich**, Puchberg am Schneeberg.
16. Sild Johann, Floridsdorf.
17. **Widhalm Franz**, Kirchberg am Wagram.
18. Zötl Stephan, St. Gotthard.

VIII. Classe.

1. Bittmann Arthur, Wien.
2. Bourguignon von Baumberg, Freih., Karl, Wien.
3. Doležel Johann, Kremsier in Mähren.
4. **Elsigan Franz**, Rudmanns.
5. Fischer-Colbrie Friedrich, Linz in Oberösterreich.
6. Groß Josef, Melk.
7. **Kittinger Anton**, Rudolfsheim.
8. Sturm Franz, Bruck a. d. Leitha.

XII. Kundmachung für das Schuljahr 1897/98.

Die Anmeldung aller Schüler findet bei der Gymnasialdirection am 16., 17. und 18. September statt und zwar von 8 bis 12 Uhr vormittags. Es haben also nicht nur die neu eintretenden Schüler, sondern auch diejenigen, welche ihre Studien am hiesigen Gymnasium fortsetzen wollen, an diesen drei Tagen in Begleitung ihrer Eltern oder deren Stellvertreter ihre Einschreibung bei der Gymnasialdirection zu erwirken. Behufs dieser haben die neu eintretenden Schüler die Bestätigung ihrer vorschriftsmäßigen Abmeldung, ihren Tauf- oder Geburtsschein und ihre sämmtlichen bisher erworbenen Gymnasialzeugnisse vorzulegen und die Aufnahmsgebür von zwei Gulden sowie den Bibliotheksbeitrag von einem Gulden zu entrichten. Solche Schüler können auch zu einer Aufnahmsprüfung verhalten werden. Die der Anstalt bereits angehörigen Schüler haben nur das letzte Semestralzeugnis vorzulegen und den Bibliotheksbeitrag von einem Gulden zu erlegen. Schüler, welche in beiden Semestern des letzten Schuljahres die dritte Fortgangsclasse erhalten haben oder die Classe zum zweitenmale zu wiederholen hätten, müssen die Anstalt verlassen. Gesuche um ausnahmsweise zu bewilligende Belassung solcher Schüler an der Anstalt müssen an den hochlöbl. k. k. n.-ö. Landesschulrath gerichtet werden und längstens bis 1. August bei der Direction eingebracht sein.

Am 16. und am 17. September finden die im 2. Termine für das Schuljahr 1897/98 abzuhaltenden **Aufnahmsprüfungen der in die I. Classe eintretenden Schüler** statt. Diese haben sich daher schon am 15. September bei der Direction vorzustellen. Nach dem Erlasse des hohen k. k. Ministeriums für Cultus und Unterricht vom 2. Jänner 1886, Z. 85, wird in jedem Termine über die Aufnahmsprüfung definitiv entschieden; **eine Wiederholung der Aufnahmsprüfung, sei es an derselben oder an einer andern Lehranstalt, ist unzulässig.** Wer in die erste Classe des Gymnasiums eintreten will, muss das 10. Lebensjahr vollendet haben oder doch mit dem 31. December 1897 erreichen. Bei der Aufnahmsprüfung wird gefordert: jenes Maß von Wissen in der Religion, welches in der vierten Classe der Volksschule erworben wird, Fertigkeit im Lesen und Schreiben der Unterrichtssprache und der lateinischen Schrift, Kenntnis der Elemente aus der Formenlehre der Unterrichtssprache, Fertigkeit im Analysieren einfacher bekleideter Sätze, Bekanntschaft mit den

Regeln der Orthographie beim Dictandoschreiben, Übung in den vier Grundrechnungsarten in ganzen Zahlen und im Kopfrechnen. — Die mündliche Prüfung aus der Unterrichtssprache und dem Rechnen wird jedem Schüler erlassen, welcher seine Reife in diesen Gegenständen bei der schriftlichen Prüfung durch mindestens befriedigende Leistungen und im Volksschulzeugnisse mindestens durch die Note „gut" dargethan hat. Die Prüfung aus der Religionslehre entfällt dann, wenn der Schüler aus diesem Gegenstande in der Volksschule die Note „gut" oder „sehr gut" erhalten hat. Sind in einem Prüfungsgegenstande die Zeugnisnote und die Censur aus der schriftlichen Prüfung entschieden ungünstig, so wird der Schüler zur mündlichen Prüfung nicht zugelassen, sondern als unreif zurückgewiesen. — An die Stelle der für die Meldung der Schüler beim Übertritte aus der Volksschule in die Mittelschule früher vorgeschriebenen „Frequentationszeugnisse" treten die neuen Formularien der an den Volksschulen üblichen „Schulnachrichten".

Am 17. und 18. September werden **die Aufnahmsprüfungen in höhere Classen, die Wiederholungs- und Nachtragsprüfungen** vorgenommen werden.

Am 18. September wird um 8 Uhr früh in der Stiftskirche ein feierlicher Gottesdienst abgehalten, welchem alle katholischen Schüler der Anstalt beizuwohnen haben. Hierauf findet im Prüfungssaale die feierliche Eröffnung des Schuljahres statt, zu welcher hiemit auch die Eltern und verantwortlichen Aufseher der Studierenden eingeladen werden.

Montag am 20. September beginnt der regelmäßige Unterricht.

Im Interesse der sittlichen Bildung und der gedeihlichen Entwicklung der Schüler richtet die Direction an die Eltern und verantwortlichen Aufseher der Studierenden das dringende Ersuchen, den Lehrkörper in seiner dem Wohle der Jugend gewidmeten Thätigkeit thatkräftig zu unterstützen, weil die Schule ihre schwere Aufgabe nur dann mit dem rechten Erfolge lösen kann, wenn sie vom Hause aus unterstützt wird. Die Schule wird zu gemeinsamem Handeln gerne die Hand bieten. Besonders werden die Eltern und Elternstellvertreter dringend ersucht, die Schüler vor verderblicher Lectüre und unpassender Gesellschaft zu bewahren und sie vom Hause nicht früher zur Schule gehen zu lassen als eine Viertelstunde vor dem Beginne des Unterrichtes, beziehungsweise des Gottesdienstes; die Schüler stehen oder schlendern sonst, wenn schon nichts Schlimmeres geschieht, müßig in den Gassen oder

vor dem Stiftsgebäude umher, während sie doch mit der Zeit haushälterisch umgehen müssen, wenn sie den gesetzlichen Anforderungen genügen sollen.

In Verbindung mit dem Gymnasium unterhält das Stift auch eine **Erziehungsanstalt (Convict)**, geleitet von einem geistlichen Director und sechs geistlichen Präfecten. Außer dem öffentlichen Gymnasialunterrichte in den obligaten und freien Lehrgegenständen erhalten die Zöglinge auch Musik- und Schwimm-Unterricht. Aufgenommen werden Schüler aller acht Classen und der Vorbereitungsclasse. Außer den zur Aufnahme ins Gymnasium erforderlichen Documenten ist auch ein ärztliches Gesundheitszeugnis beizubringen. Die Aufnahme geschieht unmittelbar nach Schluss des Schuljahres. Die Pension beträgt 300 fl. ö. W. Nähere Auskunft ertheilt die Convictsdirection.

Auch im Markte Melk, der unmittelbar an das Stift und Gymnasium angrenzt, erhalten die Schüler Unterkunft in Privat-Wohnungen, die unter der Aufsicht der Direction und des Lehrkörpers stehen. Diesbezügliche Rathschläge gibt bereitwilligst die Gymnasialdirection. **Die Eltern der Studierenden werden in ihrem eigenen Interesse ersucht, die Wahl des Kostortes erst nach vorausgegangener Anfrage bei der Direction vorzunehmen.** Diese wird darauf bedacht sein, die Schüler zunächst dorthin zu empfehlen, wo durch bisheriges einheitliches Zusammenwirken der Kosteltern und der Lehranstalt die Erreichung der Ziele des Unterrichtes und der religiös-sittlichen Erziehung am ehesten zu erhoffen ist, wo die Anforderungen nicht zu hoch gestellt, dagegen Zucht und Ordnung am nachdrücklichsten gehandhabt werden.

Melk, am 7. Juli 1897.

P. Hermann Ulbrich,
k. k. Schulrath,
Director.

Achtundvierzigster

JAHRESBERICHT

des

k. k. Stiftsgymnasiums der Benedictiner

zu

MELK.

Am Schlusse des Schuljahres 1897/98 veröffentlicht

vom

Director des Gymnasiums

P. Hermann Ulbrich,

k. k. Schulrath.

Inhalt:

Melk, 1898.

Selbstverlag des Gymnasiums.

Druck von Rudolf Brzezowsky & Söhne in Wien.

Horatiana

sive de ratione, quae intercedit inter Horatium et poetas Lyricos Graecos.

Continuatio.

Scripsit

P. Dr. Andreas Pühringer.



Pars prior, qua continentur quaestiones ad rem grammaticam pertinentes, continuatur.

De accusativo.

Graeci, ut exprimant actionem a subiecto proficiscentem ad hoc iterum referendam esse, mediis verborum formis utuntur iisque, si verba in genere activo cum duplici accusativo vel cum dativo personae, qui dicitur, et accusativo rei coniunguntur, hunc etiam in genere medio addunt; quod observari potest primum in verbis, in quibus actio subiecti ad hoc refertur ita, ut et activam et passivam prae se ferat verbum condicionem, dico verba, quibus notio induendi, cingendi, coronandi inest, ex. gr. „indutus vestem" i. e. qui sibi induit vestem, ut indutus sit (cf. Kuehner Gr. Gr. II. p. 91 § 374, 4).

Apud Lyricos Graecos usitatissima haec constructio est in verbo „ἕννυσθαι" velut in Alcman. 24, 1: ἑσσαμένᾳ πέρι δέρματα θηρῶν; 95, 1: λᾶδος ἡμένα καλόν; Sappho 71, 1: ἐπεμμένα σπολάν; Hipponac. 3, 1: Κοραξικὸν μὲν ἠμφιεσμένη λῶπος; Theocr. 24, 138: εἵματα δ'οὐκ ἀσκητὰ μέσας ὑπὲρ ἕννυτο κνάμας; cui accedit „ἀμφιτίθεσθαί τι" in Simonid. 83, 2: Ἑλλὰς ἐλευθερίας ἀμφέθετο στέφανον; περιτίθεσθαι in Sappho 66, 1: περθέμενον χλαμύν; cf. „ὑποδεῖσθαι" in Alcae. 78, 1: καὶ Σκυθικαῖς ὑποδησάμενος; conf. etiam ἀμφιβάλλεσθαί τι in Pseudophocylideor. 1, 32 (p. 332): τὸ ξίφος ἀμφιβαλοῦ. Paulo diversus sensus efficitur locis, quibus verba ἕννυσθαι, ἀμφιβάλλεσθαι al. cum accusativo γῆν (γᾶν) vel κόνιν coniunguntur et pro θάπτεσθαι, κρύπτεσθαι γῇ accipienda sunt; cf. Pind. Nem. 11, 16: καὶ τελευτὰν ἁπάντων γᾶν ἐπιεσσόμενος; Simonid. 73, 4: (αὐτὰρ ἐθάφθη ζωή) Πιερίην γῆν ἐπιεσσαμένη; cf. 84, 2: κυάνεον θανάτου ἀμφεβάλοντο νέφος; Aischyl. 2, 3 (p. 123): οἵ ποτε γυίοις | τλήμονες Ὀσσαίαν ἀμφιέσαντο κόνιν; Theocr. Ep. 8, 3: ἀντὶ δὲ πολλῆς πατρίδος ὀθνείην κεῖμαι ἐφεσσάμενος (sc. γῆν); huc quoque spectant Plato. 12, 5 (p. 139).

κεῖνο (sc. φάρος) καὶ ἐνδύσαιτο καὶ εἰς Ἀΐδαο φέροιτο et Theogn. 428: καὶ κεῖσθαι πολλὴν γῆν ἐπιεσσάμενον.

Contra ea scriptores Latini, ut hanc rationem inter subiectum et verbum intercedentem exprimant, quia medio verbi genere egent, non raro passivo utuntur; invenitur vero hic usus apud poetas demum temporis Augustei et posteriores, qui hac in re etiam longius processerunt; poetas secuti sunt scriptores solutae orationis posteriores; cf. Kuehner L. Gr. II. p. 205, § 71, 3; Draeger H. S. I, 362 sq. In Horatii vero opusculis perpauca huius generis exempla exstant; cf. Ep. 1, 17, 28: quidlibet indutus celeberrima per loca vadet; S. 1, 6, 74; laevo suspensi loculos tabulamque lacerto: e Vergilii Aen. afferri possunt 2, 510; (Priamus) inutile ferrum cingitur; 4, 493: magicas invitam accingier artis; cf. etiam participia hoc modo adhibita I, 228: oculos suffusa; II, 57: manus revinctum; II, 273: traiectus lora; II, 275: exuvias indutus; at saepissime e scriptoribus solutae orationis posterioribus hanc constructionem adhibuerunt Livius et Tacitus; cf. Liv. 27, 37, 12; virgines, longam indutae vestem; Tac. Hist. 2, 20: bracas (tegimen barbarum) indutus togatas alloqueretur (cf. etiam Draeger in praef. ad Tac. Ann. p. 10, § 25, e.)

Deinde ut ad usitatiorem verborum dicendi rationem in genere medio adhibitorum nos vertamus, persaepe a Graecis verbis allatis similibusque accusativus rei (quae plerumque pars corporis est), ad quam actio subiecti refertur, additur; cf. Pindar. Nem. 10, 44: ἐπιεσσάμενοι νῶτον μαλακαῖσι κρόκαις; Isth. 1, 28: τῶν ἀθρόοις ἀνδησάμενοι θαμάκις ἔρνεσιν χαίτας; Nem. 11, 28: ἀνδησάμενός τε κόμαν ἐν πορφυρέοις ἔρνεσιν; Anacr. 7, 2: κοϊλώτερα | στήθεα χρισάμενος μύρῳ.

In Horatii carminibus huc spectant hi loci: O. 1, 1, 21: membra sub arbuto stratus; O. 1, 2, 31: nube candentes humeros amictus; O. 2, 11, 24: incomptam comam religata nodo; O. 2, 7, 7: coronatus nitentes malobathro Syrio capillos; O. 4, 8, 33: ornatus viridi tempora pampino[1]; O. 4, 11, 5: crines religata; Epo. 5, 15: implicata crines; Epp. 2, 1, 110: fronde comas vincti cenant; A. p. 277: peruncti faecibus ora (cf. Draeger H. S. I p. 364 s.).

[1]) Hic versus autem a viris doctis ut spurius eicitur; cf. Kiessling I. p. 321.

Neque minus crebro quam participia reliquae verborum formae mediae accusativum adsciscunt; e Lyricis Graecis exempla afferre liceat haec: Alcman. 37, 1: ἄικλον Ἀλκμάων ἁρμόξατο; Sappho 2, 13: ἀ δέ μ'ἴδρως κακχέεται; 63, 2: καττύπτεσθε, κόραι, καὶ κατερείκεσθε χιτῶνας; 105, 4: ἱμερτὰν κρατὸς ἔθεντο κόμαν; conf. Anacreon. 38, 1: πλεκτὰς δ' | ὑποθυμίδας περὶ στήθεσι λωτίνας ἔθεντο; Pind. Isth. 7 (6), 27: ὅστις ἐν νεφέλᾳ χάλαζαν αἵματος πρὸ φίλας πάτρας ἀμύνεται; Simon. 68, 4: οἵ [περ] κάλλιστον μάρτυν ἔθεντο πόνων; 60, 1: τὸ δοκεῖν καὶ τὰν ἀλάθειαν βιᾶται; cf. Bacchyl. 3, 1: φρένα καὶ πυκινὰν κέρδος ἀνθρώπων βιᾶται; 8, 8: ἔγχεά τε λογχωτὰ ξίφεά τ' ἀμφάκεα δάμναται εὐρώς; Tyrtae. 8, 17: ἀλλὰ μέγαν ποιεῖσθε καὶ ἄλκιμον ἐν φρεσὶ θυμόν; cf. Theog. 61: Μηδένα τῶνδε φίλων ποιεῦ; 113: μήποτέ τοι κακὸν ἄνδρα φίλον ποιεῖσθαι ἑταῖρον; 194: αὐτός τοι ταύτην ... εἰς οἴκους ἄγεται; 275: παῖδας ἐπεὶ θρέψαιο; 648: (αἰδώς) ἀναιδείη γαῖαν ἐπιστρέφεται; cf. Anacreon 2, 4: ἐπιστρέφεαι δ' | ὑψηλῶν κορυφὰς ὀρέων; Phocylid. 17, 2: τοὺς δὲ κακοὺς διόλου πάντας ἀποστρέφομαι; Antipatr. Th. (A. P. V.) 31, 4: τοὺς ἀργυρέους οὔ ποτ' ἀποστρέφεται; Rufin. ibid. 48, 6: οὐδὲν ἐπιστρέφομαι.

Quod vero ad poetas Latinos attinet, perpauci apud Horatium leguntur loci, quibus accusativus formis verborum passivis hoc sensu adnectitur; cf. S. 1, 5, 24: ora manusque lavimur (cum Bentleio); A. p. 302: qui purgor bilem sub verni temporis horam; Ep. 2, 2, 125: nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur; sed etiam apud alios poetas aequales hoc dicendi genus raro invenitur; conf. Vergil. Aen. 3, 545: capita Phrygio velamur amictu; Ov. Met. 7, 318: exuitur cornua (cf. Kuehner L. Gr. II. p. 207). Paulo diversa ratio inest loco Ep. 1, 1, 94: curatus inaequali tonsore capillos, ubi voci „curatus" notio iubendi vel permittendi accedit; quem dicendi usum ad Graecorum exemplar formatum esse evincitur ex simili Archilochi loco 38, 1: χαίτην ἀπ' ὤμων ἐγκυτὶ κεκαρμένος.

Sed iam in eo est, ut de verbis passivis, quae cum accusativo coniunguntur, verba faciamus; scriptores Graeci enim etiam verbis, quae et formam et significationem passivam exhibent, accusativum addunt; quem dicendi usum, ut mox videbimus, Latini secuti sunt (cf. Kuehner Gr. Gr. II. p. 261 sq.; p. 279 § 410; Krueger Gr. Gr. 52, 4). Et iam verba docendi, si in genere activo adhibentur, duplici cum accusativo coniungi

notum est; in genere vero passivo accusativus personae, qui dicitur, in nominativum transit, accusativus rei retinetur; cuius usus exempla apud Lyricos inveniuntur haec: Solon. 12, 50: ἔργα δαείς; cf. Tyrtae. 9, 8: εὖ δ' ὀργὴν ἐδάητ' ἀργαλέου πολέμου; Solon. 12, 51: Μουσέων (λάβε) δῶρα διδαχθείς; Archiloch. 133, 1. (Bgk. II. ed. IV. p. 721): νόμους δὲ Κρητικοὺς διδάσκεται; Callim. 86, 2 (Bergk. ed. II. p. 152): αἰράων ἔργα διδασκόμενοι; Theocr. 28, 19: ὃς πόλλ' ἐδάη σόφα | ἀνθρώποισι νόσοις φάρμακα λύγραις ἀπαλαλκέμεν; Bion. 6 [2], 16 (cf. Ahrens p. 235): εἴρια δ' ἀνθ' ὅπλων ἐδιδάσκετο; Phanocl. 1, 23 (Bergk. ed. II. p. 166): ὡς ἐδάησαν ἀρήϊοι ἔργα γυναικῶν | ἄγρια.

Deinde eodem modo formis passivis accusativus rei additur in verbis, quibus notio feriendi, pungendi inest, ut in Anacreonteor. 33, 4: τὸν δάκτυλον παταχθείς; Anacreon. 19, 8: πολλὰ δὲ νῶτον σκυτίνῃ μάστιγι θωμιχθείς, κόμην | πώγωνά τ' ἐκτετιλμένος; frg. iamb. adesp. 12, 1 (p. 160): ὁ τὸν κυσὸν τρωθείς; Tyrtae. 9, 20: νῶτον ὄπισθ' αἰχμῇ δουρὸς ἐληλαμένος; Tyrtae. 9, 33: καὶ στέρνον στέρνῳ πεπληγμένος; Theog. 910: καὶ δάκνομαι ψυχήν; Archil. 74, 2: οἴνῳ συγκεραυνωθεὶς φρένας; Jon. 8, 1: οὐδ' ὅγε σῶμα τυπεὶς | διφυεῖς τε κόρας; quibus accedunt verba, quae animi motum significant: ἰαίνεσθαι: Archil. 37, 1: ἀλλ' ἄλλος ἄλλῳ καρδίην ἰαίνεται (cf. Bacchylid. 10, 4: τὸ δὲ παρ' ἀμάρ τε καὶ νύκτα μελλόντων χάριν | ἑὸν ἰάπτεται κέαρ); Theog. 1122: ἥβῃ καὶ πλούτῳ θυμὸν ἰαινόμενος; ἀσᾶσθαι: Theog. 657: μηδὲν ἄγαν χαλεποῖσι ἀσῶ φρένα; 989: ὅταν δέ τι θυμὸν ἀσηθῇς; Theocr. 25, 240: τὸ τρίτον αὖ μέλλεσκον ἀσώμενος ἐν φρεσὶν αἰνῶς | αὐερύειν; κοκᾶσθαι: Solon. 32, 27: τῶν εἵνεκ' ἀρχὴν πάντοθεν κυκεύμενος; τρυχοῦσθαι: Pseudophocyl. 1, 55 (p. 332): μηδὲ παροιχομένοισι κακοῖς τρύχου τεὸν ἧπαρ; φοβεῖσθαι: Telest. (p. 292) 1, 3: δυσόφθαλμον αἶσχος ἐκφοβηθεῖσαν.

Multa vero horum verborum, quae attulimus, a grammaticis in numerum referuntur eorum, quae accusativum relationis, quem dicunt, sibi asciscunt; quod dici quodam modo potest etiam de nonnullis eorum, quae in sequentibus allaturi sumus; cf. βροτᾶν in Stesichor. 15, 1: τᾷ δὲ δράκων ἐδόκησε μολεῖν κάρα βεβροτωμένος ἄκρον; δεύεσθαι in Xenophan. 3, 6: ἀσκητοῖσ' ὀδμὴν χρίμασι δευόμενοι; χεῖσθαι in Aeschrion. 8, 1 (p. 151): σύν ῥ' ἐχύθη ψυχήν; (ἀραρίσκεσθαι) in Simonid. 94, 4: οὐκ ἤρθη νοῦν εἰς ἀτασθαλίην; κλάειν in Platon. 16, 3 (p. 139): πάντας δ' ἀκρε-

μόνας τε καὶ εὐθαλέας ὀροδάμνους | κέκλασμαι; cf. etiam Eueni 2, 5 p. 132 (ἀποστρέφω): ἀπέστραπται μὲν ἔρωτας; aliter vero res se habet in verbo ἀμφικρέμασθαι: Pind. Isthm. 2, 43: φθονεραὶ θνατῶν φρένας ἀμφικρέμανται ἐλπίδες; στεφανοῦσθαι in Simonid. 149, 1: Ἴσθμια δίς, Νεμέᾳ δίς, Ὀλυμπίᾳ ἐστεφανώθην; 132, 2: καὶ νικῶ πὺξ δύ' ὀλυμπιάδας; 133, 1: Ἴσθμια καὶ Πυθοῖ Διοφῶν ὁ Φίλωνος ἐνίκα ἅλμα; 137, 1: Κρὴς Ἄλκων Διδύμου Φοίβῳ στέφος Ἴσθμι' ἑλὼν πύξ; 134, 1 sq.: εἰπὸν τίς, τίνος ἐσσί, τίνος πατρίδος, τί δ' ἐνίκης; „Κασμύλος, Εὐαγόρου, Πύθια πύξ, Ῥόδιος"; 135, 7: καὶ Νεμέᾳ τρὶς ἐνίκασεν, καὶ τετράκις ἄλλα Πελλάνᾳ, δύο δ' ἐν Λυκαίῳ; 106, 3: Ὀλυμπίᾳ δίς, ἐν δὲ Πυθῶνι τρία; ἀμέλγεσθαι: Jon. 1, 9: νέκταρ ἀμέλγονται μόνον ὄλβιον ἀνθρώποισιν; φέρβεσθαι: Pind. Pyth. 5, 110: (κρέσσονα μὲν ἀλικίας) νόον φέρβεται γλῶσσάν τε.

Apud scriptores Latinos haec dicendi ratio antiquis temporibus et aurea, quae dicitur, aetate non invenitur, si unum Sallusti locum (Histor. 3, 91; ap. Priscian. VI. 9, 47: dedecores multique terga ab hostibus caedebantur) et Catulli carmen LXIV (cf. vv. 64, 65, 122, 207, 296) excipias; temporibus demum Augusteis hic usus a poetis saepius adhibitus est eosque secuti sunt scriptores solutae orationis posteriores (cf. Kuehner L. Gr. II. p. 216 § 72, 5; p. 220, 4 a § 73, 4). Deinde quod ad singula attinet, verba, quibus notio docendi inest, etiam a Latinis cum duplici accusativo coniunguntur in genere activo, in genere vero passivo accusativus rei a solis poetis additur excepto participio perfecti (ex. gr. doctus), quod et apud bonos scriptores accusativum asciscit (cf. Kuehner l. a. p. 220, 4 a). Horatius, ut locos omittam, quibus participium „doctus" exstat, formis passivis accusativum addit in his exemplis: O. 3, 6, 21: motus doceri gaudet Jonicos | matura virgo; S. 1, 6, 76: puerum ... docendum artes, quas doceat quivis eques, ... semet prognatos. Quibus accedunt verba, quae notionem pulsandi, caedendi habent similiaque; cf. S. 2, 3, 295: quone malo mentem concussa; S. 1, 1, 5: multo iam fractus membra labore; conf. etiam O. 4, 11, 27: Pegasus terrenum equitem gravatus; Epo. 4, 3: Hibericis peruste funibus latus et crura dura compede; Ep. 2, 1, 195; diversum confusa genus panthera camelo; videmus his locis omnibus participium exstare: inveniuntur vero nonnulli loci, quibus aliis etiam formis passivis accusativus

adiungitur ut in O. 2, 20, 10: mutor superna[1]; S. 1, 8, 37: merdis caput inquiner albis corvorum; S. 2, 7, 38: nasum nidore supinor; cum Simonidis loco al. (fr. 188, 1) conferri potest Ep. 1, 1, 50: coronari contemnat Olympia. His quoque locis adnumerari debet A. p. 383: census equestrem summam nummorum; qui accusativus, quamquam hoc loquendi genere boni solutae orationis scriptores omnino abstinent, tamen apud Ciceronem legitur (pro Flacco 32, 80): voluisti magnum agri modum censeri; cf. Gell. 7, 13, 1: qui centum et viginti quinque milia aeris.... censi erant. Ex exemplis allatis etiam patet participium „census" passivam significationem habere, quare Unterbergero (l. a. p. 6) assentiri non possum, qui putat verbo „censeri" non passivam sed medii significationem inesse.

Venimus iam ad dicendi genus perstringendum et Graecis et Latinis, qui a Graecis id sumpserunt, usitatissimum; a Graecis enim saepissime adiectiva generis neutri loco adverbiorum adhiberi notum est; adduntur vero talia adiectiva verbis et transitivis et intransitivis in casu quarto (cf. Kuehner Gr. Gr. II. p. 410, 3; p. 265 sq.). Apud Lyricos Graecos, qui huius usus innumera fere exempla praebent, adiectivum gen. n. loco adverbii saepissime additur verbis dicendi ut ᾄδειν: Anacreon. 34, 2: χαρίεντα[2]) μὲν γὰρ ᾄδω; Theogn. 242: καλά τε καὶ λιγέα | ᾄσονται;

---

[1]) Sed hanc lectionem nonnullis codicibus deterioribus debemus; Fea eam in textum recepit; at reicienda est; de voce „supernĕ" cf. L. Mueller „De re m." p. 340; Neue L. F. II. 688.

[2]) Quae adiectiva, si litterarum ordine disponimus, haec sunt: ἁβρά in Anacreonteor. 42, 5; Sappho 55, 1 (Bergk. II. p. 368); Theogn. 474. 722; ἀεκούσια in Theogn. 1343; ἄκραντα in Pind. Ol. 2, 87 (96): ἁλμυρά in Theocr. 23, 34; ἀντία in Pind. Pyth. 8, 52 (74); ἀπάλαμνα in Theogn. 481; ἄπλητον in Semonid. 7, 33; ἄπρηκτον in Semonid. 1, 7; ἄπρακτα in Alcman. 30, 1; Bacchylid. 11, 1; ἄρτια in Theogn. 946; ἀσφαλές in Pind. Pyth. 2, 20; αὔριον in A. P. V. (Asclepiad.) 181, 9; ἄφαντον in Pind. Pyth. 11, 30; βαιόν in A. P. V. (Meleagr.) 197, 5; βαιά in Pind. Pyth. 9, 77: βαρύ in Anacreon. 5, 3; βίαια in Theogn. 1343; βραχύ in Meleagr. A. P. V. 182, 5; Theocr. 23, 38; γλυκύ in Theocr. 15, 146; 30, 6; δεινά in Theogn. 1108; δεύτερα in Euripid. 3, 3; δίκαια in Hipparch. 1, 1; ἐλάφρα in Arion. 1, 7; ἔμπνοα in Plato 21, 2; ἐπιδέξια in Critiae 2, 7; 7, 7. Dionys. Chalc. 1, 2; 4, 1; ἐσθλά in Theogn. 1008; ἔσχατον in Simonid. 46, 1; ἔτυμα in Theogn. 308; ἐτώσια Theocr. 7, 48; ἡδύ in Rufin. A P. V. 61, 2; ἀδύ in Bion. 4, 5; Theocr. Σύριγξ 17; Sapph. 2, 3; ἡδέα in Phocylid. 9, 2; ἤπια in Theogn. 1298; ἠύ in Alcman. 17, 6; θαλερώτερον in Theocr. 14, 32; θῆλυ in A. P. V. 200, 3; ἶσον in Solon. 22, 1; Theogn. 82. 719; ἱμερόεν Sapph. 2, 5;

εἰπεῖν: Simonid. 99, 1: ὕστατα δὴ τάδ' ἔειπε; λέγειν Theog. 308: ἐλπόμενοι κείνους πάντα λέγειν ἔτυμα; 763: χαρίεντα μετ' ἀλλήλοισι λέγοντες; 1239: λέξουσι μάταια; 1047: καλὰ λέγοντες; μελίζειν: Alcman. 96, 1: καλλὰ μελιζόμεναι; Bion. 4, 5 (6, 5 Koechly): ἁδὺ μελίσδῃ; Theocr. in „Σύριγξ" (Bgk.[2] p. 510) v. 17: ἁδὺ μελίσδοις; φωνεῖν: Sapph. 2, 3: καὶ πλασίον ἁδὺ φωνεύσας ὑπακούει; Theocr. 15, 146: ὡς γλυκὺ φωνεῖ; γαρύειν: Pind. Ol. 2, 87 (96): ἄκραντα γαρύετον; ἐπαινεῖν: Alcae. 42, 3: μέγ' ἐπαινέοντες ἀολλέες; κωτίλλειν: Phocylid. 9, 2. ἡδέα κωτίλλοντα; Theog. 487: σὺ „ἔγχεε" τοῦτο μάταιον | κωτίλλεις αἰεί; 852: μαλθακὰ κωτίλλων; φθέγγειν: Theog. 266: ἡ δὲ τέρεν φθέγγετ' ἀπὸ στόματος; λεσχάζειν: Theog. 613: κακοὶ κακὰ λεσχάζοντες; βοᾶν: Theog. 887: μακρὰ βοῶντος (sc. κήρυκος); 1197: ὄρνιθος φωνὴν ὀξὺ βοώσης; εὔχεσθαι: Solon. 36, 1: πρῶτα μὲν εὐχόμεσθα; θέσσασθαι: Archil. 11, 1: πολλὰ . . . | θεσσάμενοι; μυθεῖσθαι: Theog. 481: μυθεῖται δ'ἀπάλαμνα.

Deinde verbis sentiendi ut ὁρᾶν: Solon. 30, 2: λοξὸν ὀφθαλμοῖσ' ὁρῶσιν; δέρκεσθαι: Pind. Pyth. 2, 20: δρακεῖσ' ἀσφαλές; Ibyc. 2, 1:

κακόν in Theocr. 20, 10. κακά in Theogn. 613; κακώτερον in Theocr. 5, 52; καλόν in Alexand. Aetol. 1, 4; in Meleagr. (A. P. V.) 191, 1; Praxill. 5, 1; Theocr. 1, 46; καλά in Alcman. 96, 1; Simonid. 129, 4; Theogn. 242; 1047; κάλλιον in Pind. Pyth. 5, 12; κοῦφα in A. P. V. (Asclepiad.) 203, 4; λεπτά in Semonid. 19, 1; λιγέα in Theogn. 242; λοιπόν in Anacreonteor. 23, 10; λοξόν in Anacreon. 70, 1; Solon. 30, 2; λοξά in Theocr. 20, 13; λυγρά in Solon. 10, 1; μακρά in Archiloch. 108, 1; Theogn. 887; μαλθακά in Theogn. 852; μάταιον in Theogn. 487; μάταια in Theogn. 141; 1239; Meleagr. (A. P. V. p. 90), 179, 3; μέγα in Alcae. 42, 3; 73, 1; Corinn. 1, 3; Pind. Nem. 3, 40; Pseudophocylid. 66; Simonid. 128, 7; Theocr. 25, 35; μέγιστα in Semonid. 7, 109; μυρία in A. P. V. (Rufin.) 9, 8; ὀλίγα in Hipponact. 67, 1; ὀξύ in Theogn. 1197; ὅσον in Mimnerm. 2, 8; A. P. V. (Leonid.) 188, 4; πάντα in Hermesianact. 2, 88; παρθένιον in Anacreon. 4, 1; πικρά in A. P. V. (Meleagr.) 180, 2; πιστά in Pind. Ol. 3, 17; πολλά in Alcae. 45, 1; Anacreon. 19, 8; Archiloch. 11, 1; Aristotel. 5, 10; Hermesian. 2, 25; Meleagr. in A. P.V. 191, 4; 9, 1; Philet. 5, 3; Phocylid. 12, 1; Sapph. 24, 1; 101, 2; Theogn. 71; 619; 625; 1085; 1343; Tyrtae. 10, 25; πλεῖστα in Thucyd. 1, 3; πρῶτα in Euripid. 3, 3; Solon. 36, 1; πρώτιστα in Alcae. 56, 7; πυκνά in Alcae. 43, 4; Anacreon 70, 5; Sappho 1, 11; Simonid. 150, 4; σαρδόνιον in Meleagr. (A. P. V. p. 90) 179, 4; σαῦλα in Semonid. 18, 1; σκολιά in Scolior. 15, 3; σιμά in Meleagr. (A. P. V. p. 90), 179, 3; σοβαρόν in Platon. 4, 1; Theocr. 20, 14; σύμμετρα in Critiae 2, 26; συνεχές in Theocr. 20, 12; τακέρα in Ibyc. 2, 1; τάχιστα in Archiloch. 9, 9; τέρεν in Theogn. 266; τόσον in Pind. Nem. 4, 4; τραχύ in A. P. V. (Meleagr.) 180, 6; τρίτον in Meleagr. A. P. V. 182. 4; in Pind. Nem. 3, 72; τρίτατα in Euripid. 3, 3; ὕστατα in Callin. 1, 5; Simonid. 99, 1; φθονερά in Pind. Nem. 4, 39; χαρίεντα in Anacron. 34, 2; Theogn. 763; χλαρόν in Pind. Pyth. 9, 38.

ταχέρ' ὄμμασι δερκόμενος; βλέπειν: Pind. Nem. 4, 39: φθονερὰ δ'ἄλλος ἀνὴρ βλέπων; Anacr. 4, 1: ὦ παῖ παρθένιον βλέπων; 70, 1: λοξὸν ὄμμασιν βλέπουσα; Praxill. (p. 271) 5, 1 (ἐμβλέπειν): καλὸν ἐμβλέποισα; Semonid. 19, 1; ἢ (λεπτὰ) βλέπων; Theocr. 20, 13: λοξὰ βλέποισα; φρονεῖν: Pind. Ol. 3, 17: πιστὰ φρονέων; Archil. 108, 1 (Bergk. ed. II. p. 191): Τί μακρὰ δὴ φρονεῖς, τάλαν; Hipponac. 67, 1: ὀλίγα φρονέουσιν; Theog. 625: ἀργαλέον φρονέοντα παρ' ἄφροσι πόλλ' ἀγορεύειν; Hipparch. 1, 1, p. 122: στεῖχε δίκαια φρονῶν; Scol. 15, 3 (p. 325): καὶ μὴ σκολιὰ φρονεῖν; νομίζειν: Theog. 141: ἄνθρωποι δὲ μάταια νομίζομεν; ἰδεῖν: Theocr. 20, 12: καὶ μ' ἀπὸ τᾶς κεφαλᾶς ποτὶ τὼ πόδε συνεχὲς εἶδε; νοεῖν: Theog. 946: χρὴ γάρ μ' ἄρτια πάντα νοεῖν; 1008: ἐσθλὰ νοῇ; 1298: ἤπια νωσάμενος; quibus accedunt verba, quae animi motum quendam significant ut γελᾶν in Pind. Pyth. 9, 38: χλαρὸν γελάσσαις; Sappho 2, 5: καὶ γελαίσας ἰμερόεν; Platon. 4, 1: ἡ σοβαρὸν γελάσασα καθ' Ἑλλάδος; Theocr. 20, 14: καί τι σεσαρὸς καὶ σοβαρόν μ' ἐγέλασσεν: Meleagr. (Anth. Pal. V. p. 90) 179, 4: σαρδάνιον γελάσεις; cf. Anacreonteor. 42, 5: πίνωμεν ἁβρὰ γελῶντες; γηθεῖν: Corinn. 1, 3: μέγα δ'ἐμὰ γέγαθε πόλις; τέρπειν: Thucyd. 1, 3 (p. 131): πλεῖστα δὲ μούσαις | τέρψας; χαίρειν: Sapph. 24, 1: πόλλα μοι τὰν Πολυανάκτιδα παῖδα χαίρην; 101, 2: χαῖρε, τίμιε γάμβρε, πόλλα; cf. Anacreonteor. 23, 10: χαίροιτε λοιπὸν ἡμῖν ἥρωες; μειδιᾶν: Theocr. 30, 6: αἴ τι παραύαις γλύκυ μειδίαι; μαίνεσθαι: Semonid. 7, 33: ἀλλὰ μαίνεται τότε | ἄπλητον; κλαίειν: Theocr. 23, 34: ἁλμυρὰ κλαύσεις; 23, 38: βραχὺ κλαῦσον; 14, 32: ἔκλαι' (cum Hermanno) ἐξαπίνας θαλερώτερον; στένειν: Simonid. 128, 7: μέγα δ'ἔστενεν Ἀσίς; μογεῖν: Theog. 71: πολλὰ μογήσας; Philet. 5, 3 (Bergk, ed. II. p. 132) καὶ πολλὰ μογήσας; πάσχειν: Alcae. 45, 1: κατ τᾶς πολλὰ παθοίσας κεφαλᾶς κακχε (ἄτω) Solon. 10, 1: εἰ δὲ πεπόνθατε λυγρά; 22, 4: καὶ ποσὶν ἁβρὰ παθεῖν; Theog. 474: ἁβρὰ παθεῖν; 722: καὶ ποσὶν ἁβρὰ παθεῖν; 1108: δεινὰ παθών; Hermesian. 2, 25, Bergk. ed. II. p. 135: πόλλ' ἔπαθεν; παταγεῖν: Anacreon. 5, 3: βαρὺ δ'ἄγριοι χειμῶνες παταγεῦσιν; τλῆναι: Theog. 1343: τλήσομαι οὐ κρύψας ἀεκούσια πολλὰ βίαια; Aristot. 5, 10 (ἀνατλῆναι): πόλλ' ἀνέτλασαν; ὀδύρεσθαι: Bacchylid. 11, 1: ἄπρακτ' ὀδυρόμενον δονεῖν | καρδίαν: ὁρμαίνειν: Semonid. 1, 7: ἄπρηκτον ὁρμαίνοντας; ἄχθεσθαι: Theocr. 5, 35: μέγα δ'ἄχθομαι; μοχθίζειν: Theocr. 7, 48: ἐτώσια μοχθίζοντι; cf. 1, 38; φέρειν: Pind. Pyth. 5, 12: σοφοὶ δέ τοι κάλλιον φέροντι; Theog. 1085: σοὶ πολλὰ φέρειν βαρύ; φωνεῖν: Philodem. A. P. V. 121, 3: **φωνεῦσα μαγώτερα.**

Denique huc pertinent multa alia verba, quibus diversissima inest significatio, ut ἀκοντίζειν in Callini 1, 5: καί τις ἀποθνήσκων ὕστατ' [1]) ἀκοντισάτω; ἄλλεσθαι: Sapph. 55, 1 (Bergk, ed. II. p. 368): ἄβρα δηὖτε παχήᾳ σπόλᾳ ἀλλόμαν [2]); ἀναπάλλεσθαι: Arion. 1, 7: ἐλάφρ' ἀναπαλλόμενοι; ἀπατᾶν; Phocylid. 12, 1: πόλλ' ἀπατηθῆναι; ἀπομάσσειν; Hermesian. 2, 88: (Bergk, ed. II. p. 137): πάντ' ἀπομασσόμενον; βρέμειν: Pind. Pyth. 11, 30: ἄφαντον βρέμει; βρίθειν: Pind. Nem. 3, 40: εὐδοξίᾳ μέγα βρίθει; Theocr. 1, 46: πυρναίαις σταφυλαῖσι καλὸν βέβριθεν ἀλωά; δαμάζειν: Alcae. 73, 1: ἅ μέγα δάμναι; βόσκειν; Plato 21, 2: ὡς ἤδη πάσας ἔμπνοα βοσκομένας; δῦναι: Alcman. 30, 1: λῦσαν δ' ἄπρακτα νεάνιδες; Simonid. 46, 1: ἔσχατον δύεται κατὰ γᾶς; ἐλαύνειν: Tyrtae. 10, 25: πολλὰ . . . ἐληλαμένος; ἑλίσσειν: Alex. Aet. (B.[2] p. 139) 1, 4: ἐν θαλάμοις καλὸν ἑλισσομένης; ἐσθίειν: Criti. 2, 26: ἔσθειν καὶ πίνειν σύμμετρα; θωμίζειν: Anacreon. 19, 8: πολλὰ . . . θωμιχθείς; κίδνασθαι: Mimnerm. 2, 8: ὅσον τ' ἐπὶ γῆν κίδναται ἠέλιος; κυλίνδεσθαι: Theog. 619: πόλλ' ἐν ἀμηχανίῃσι κυλίνδομαι; μανθάνειν: Simonid. 129, 4: καλὰ μαθόντι χορῷ; ὄζειν: Theocr. 5, 52: ὄσδοντι κακώτερον; 20, 10: κακὸν ἐξόσδεις; πέμπειν: Dionys. Chalc. 1, 2: ἐγὼ δ' ἐπιδέξια [3]) πέμπω; cf. 4, 1: ὕμνους οἰνοχοεῖν ἐπιδέξια σοί τε καὶ ἡμῖν; Criti. 2, 7: καὶ προπόσεις ὀρέγειν ἐπιδέξια; 7, 7: ἐπιδέξια νωμῶν; Crinag. A. P. V. 119, 1: κἢν ῥίψῃς ἐπὶ λαιά, καὶ ἢν ἐπὶ δεξιὰ ῥίψῃς; πλουτεῖν: Solon. 22, 1: ἰσόν τοι πλουτοῦσιν (eadem verba in Theog. 719); cf. Theog. 82: ἶσον τῶν ἀγαθῶν τῶν τε κακῶν μετέχειν; ποικίλλειν: Pind. Pyth. 9, 77: βαιὰ δ' ἐν μακροῖσι ποικίλλειν ἀκοὰ σοφοῖς; τεύχειν: Pind. Nem. 4, 4: οὐδὲ θερμὸν ὕδωρ τόσον γε μαλθακὰ τεύχει γυῖα, τόσσον εὐλογία φόρμιγγι συνάορος; τρέχειν: Eurip. 3, 3 (p. 130): ἅρματι πρῶτα δραμεῖν καὶ δεύτερα καὶ τρίτα[τα]; cf. Pind. Nem. 3, 72: ἐν παισὶ νέοισι παῖς, ἐν ἀνδράσιν ἀνήρ, τρίτον | ἐν παλαιτέροισι; τυγχάνειν in Semonid. 7, 109: αὕτη μέγιστα τυγχάνει λωβωμένη; ὠθεῖν (ἀπωθεῖν) in Archiloch.

[1]) Sed prorsus in adverbium abiit ut „πυκνά“ in Sapph. 1, 11: πυκνὰ δινεῦντες πτέρ' ἀπ' ὠρανῶ αἴθερος διὰ μέσσω; Simonid. 150, 4: πυκνὰ κραδαινομένα δαΐῳ ἐν πολέμῳ; Alcae. 43, 4: (πτερύγων δ' ὕπο) κακχέει λιγυρὰν [πυκνὸν] ἀοιδάν; „κοῦφα“ in Anacreon. 70, 5: κοῦφά τε σκιρτῶσα παίζεις; „ἀντία“ in Pind. Pyth. 8, 52 (74): τὸ δὲ οἴκοθεν ἀντία πράξει; „σαῦλα“ in Semonid. 18, 1: καὶ σαῦλα βαίνων, ἵππος ὡς κορωνίης; „ἠύ“ in Alcman. 17, 6: οὔτι γὰρ ἠὺ τετυγμένον ἔσθει; „πρώτιστα“ in Alcaei 56, 7: ἐπειδὴ πρώτιστ' ὑπὸ Fέργον ἔσταμεν τόδε.

[2]) cf. Hiller p. XV, qui hoc frg. pessime depravatum omisit.

[3]) Nisi legendum est „ἐπὶ δέξια“

9, 9: ἀλλὰ τάχιστα τλῆτε γυναικεῖον πένθος ἀπωσάμενοι; ὠφελεῖν: conf. Pseudophocyl. 66: μέγα δ'ὠφελεῖ ἐσθλὰ πονεῦντα.

A Graecis hic adiectivorum usus ad Latinos pervenit; sed invenitur apud solos poetas et scriptores solutae orationis posteriores; at vero etiam poetae hoc dicendi genere raro utuntur; primus, qui saepius id adhibuit, est Catullus; inter poetas temporis Augustei hic Graecismus latissime patet apud Horatium (cf. Kuehner L. Gr. II. p. 211 § 73, 3; Draeger H. S. p. 358 sq.).

Saepissime iam ab Horatio adiectivum generis n. loco adverbii additur verbis, quae sonum quendam significant: *a)* verbis dicendi ut O. 1, 22, 23: (dulce ridentem) Lalagen amabo, dulce loquentem; O. 2, 12, 14: me voluit dicere lucidum fulgentes oculos; O. 3, 3, 17: gratum elocuta consiliantibus Junone divis; S. 2, 6, 27: clare certumque locuto; Ep. 1, 7, 27: reddes dulce loqui; Ep. 2, 2, 9: quin etiam canet indoctum, sed dulce bibenti; A. p. 280: et docuit magnumque loqui nitique cothurno; 459: licet „Succurrite" longum clamet; *b)* verbis sonandi ut: S. 1, 4, 44: os magna sonaturum; 1, 6, 43: magna sonabit; 1, 8, 41: umbrae resonarint triste et acutum; S. 1, 4, 76: suave locus voci resonat conclusus; *c)* verbis, quae animi motum exprimunt; cf. O. 1, 22, 23: dulce ridentem Lalagen amabo; O. 2, 19, 6: plenoque Bacchi pectore turbidum laetatur; O. 3, 27, 67: perfidum ridens Venus; O. 2, 6, 19: minimum Falernis invidet uvis; Epo. 5, 74: o multa fleturum caput; S. 1, 5, 62: in faciem permulta iocatus; Ep. 1, 1, 101: insanire putas sollemnia me; Ep. 2, 1, 166: nam spirat tragicum; S. 1, 10, 44: molle atque facetum Vergilio adnuerunt; quibus accedunt: S. 1, 3, 26: cur in amicorum vitiis tam cernis acutum? Ep. 1, 7, 27: reddes ridere decorum; S. 2, 5, 100: certum vigilans; S. 1, 4, 137: inprudens olim faciam simile? Epp. 1, 10, 41: serviet aeternum.

Apud scriptores solutae orationis hoc dicendi genus rarissime invenitur; cf. Tac. Ann. 4, 60, 9: falsum renidens vultu; „sonare" vero etiam a Cicerone cum adiectivo coniungitur in Brut. 74, 259: subagreste quiddam pleneque subrusticum; aliter, ut recte Unterberger p. 6 adnotat, res se habet in locutionibus tritis „magnum dicere, falsum sentire" aliisque, in quibus

adiectiva substantivorum loco posita sunt. Denique monendum est, aliquid interesse et apud Graecos et apud Latinos, utrum adiectiva in numero singulari an plurali posita sint; quod discrimen iam Bernhardius (in op. Wiss. Synt. p. 129) recte significavit his verbis: „Der feine Ton des Atticismus, besonders der Komödie, unterschied zwischen der singularen und pluralen Form, so dass diese den reinen Sinn eines Adverbiums aussprach, jene sich enger an den Inhalt eines Objectes anschloss, also πνεῖν κακόν (= πνεῦμα), dagegen παίειν ἀνδρικώτατα"; cf. etiam Kuehner Gr. Gr. II. p. 229 a, 2 § 403.

Restat, ut pauca disputemus de accusativo, qui dicitur relationis quique apud Graecos sat multis locis exstat et plerumque cum adiectivis, rarius cum substantivis vel verbis coniungitur (cf. Kuehner Gr. Gr. II. p. 271, § 410, 6 b).

Saepissime et substantivis et adiectivis a Lyricis adiungitur accusativus γένος (γενεάν), ut in Pisandri 1, 3: Μάγνης γένος; Alcman. 7, 3: οὐδὲ Θεσσαλὸς γένος; Erinn. 5, 6 p. 296: χὤτι γένος | Τηνία, ὡς εἰδῶντι; Simonid. 139, 1: Θάσιος γένος; 185, 3 (Hartg. v. VI. p. 198): Λακεδαιμόνιος γένος; ibid. p. 195, 179, 1: Θρῄσσα γυνὴ γένος; 158, 2: οὐ Ῥόδιος γένος ἦν; cf. 107, 1: Κρῆς γενεάν; cf. Aeschyl. 1, 1: Τυρσηνῶν γενεάν; Phocyl. 2, 1: τί πλέον, γένος εὐγενὲς εἶναι; Theogn. 1209: αἴθων μὲν γένος εἰμί; ex adiectivis saepius cum accusativo coniungitur superlativus ἄριστος in Solon. 27, 7: μέγ' ἄριστος ἰσχύν; cf. 27, 13; Phocyl. 1, 4: εἶδος ἀρίστη; deinde comparativi: χαριέστερος in Tyrtae. 10, 5: οὐδ' εἰ Τιθωνοῖο φυὴν χαριέστερος εἴη; ὠκύτερος in Theog. 715: ὠκύτερος δ' εἴησθα πόδας; ματαιότερος in Theog. 1025: δειλοί τοι κακότητι ματαιότεροι νόον εἰσίν; ἀμείνων in Theog. 901: ἔστιν ὁ μὲν χείρων, ὁ δ' ἀμείνων ἔργον ἕκαστον; βέλτερος in Theogn. 866: ὃς οὔτ' αὐτῷ βέλτερος οὐδὲν ἐών; quibus accedunt: ἐναλίγκιος in Pind. Isth. 8, 37 (7, 41): (υἱὸν).. χεῖρας Ἄρεΐ τ' ἐναλίγκιον στεροπαῖσί τ' ἀκμὰν ποδῶν; Erinn. 4, 2: ἐντὶ καὶ ἄνθρωποι τὶν ὁμαλοὶ σοφίαν; ὀξύς in Simonid. 159, 1: χρόνος ὀξὺς ὀδόντας; ἴκελος in Bacchyl. 26, 2: οὐδὲν ἀνθρώποις ἴκελοι; ἀλλοῖος in Theog. 217: τοτὲ δ' ἀλλοῖος χρόα γίνευ; 1073: τοτὲ δ' ἀλλοῖος πέλευ ὀργήν; ὁμοῖος in frg. iamb. adesp. (p. 160) 11, 2: θαλάσσῃ πάνθ' ὁμοῖον; εὐδαίμων in Bacchyl. 1, 3: πάντα γ' εὐδαίμων ἔφυ; πανόλβιος in Theog. 441: οὐδεὶς γὰρ πάντ' ἐστὶ πανόλβιος; Theogn. 1162 a: οὐδεὶς γὰρ πάντ' ἐστὶ πανόλβιος; σοφός in

Theog. 902: οὐδεὶς . . . ἅπαντα σοφός; αἴτιος in Theog. 407: ἐγὼ δέ τοι αἴτιος οὐδέν; βαρύς in Theog. 98: γινώσκων ὀργὴν καὶ βαρὺν ὄντα φέρει; ἔξοχος in Theogn. 129: Μήτ' ἀρετὴν εὔχευ, Πολυπαΐδη, ἔξοχος εἶναι μήτ' ἄφενος; καλός in Scol. 6, 2 (p. 323): φυὰν καλὸν γενέσθαι; Theogn. 1259: τὴν μορφὴν μὲν ἔφυς καλός; αἰνετός in frg. adesp. (Bergk. ed. II. p. 543) 39, 5: πόδας αἴνετος[1]); φίλος in Theogn. 1258: ὀργὴν ἄλλοτε τοῖς, ἄλλοτε τοῖσι φίλην; cum pronomine accusativus coniungitur in Sapph. 70, 2: ἔσσεσθαι σοφίαν παρθένον εἰς οὐδένα πω χρόνον | τοιαύτην; a substantivo pendet in Praxill. 5, 2: παρθένε τὰν κεφαλάν, τὰ δ' ἔνερθε νύμφα; deinde cum verbis coniungitur in Archiloch. 105, 1: θάλλεις ἁπαλὸν χρόα; Semonid. 7, 41: ἔοικε τοιαύτη γυνή[ὀργήν]: Theog. 503: οἰνοβαρέω κεφαλήν; 841: οἶνος ἐμοὶ τὰ μὲν ἄλλα χαρίζεται; 897: πάντ' . . . χαλεπαίνειν; 977: κραδίην εὖ πείσομαι; Tyrtae. 8, 27: πάντ' ἐπέοικεν; Semonid. 7, 70: θυμὸν ἀγλαΐζεται; Theogn. 109: ἓν ἁμάρτῃς; Rufin. in A. P. V. 47, 4: γυῖα κέκμηκα; denique cum participiis accusativus coniungitur in Mimnerm. 5, 6: νόον ἀμφιχυθέν; Theog. 619: ἀχνύμενος κῆρ; conf. v. 1114 a; 1122: θυμὸν ἰαινόμενος; 646: κείμενος ἐν μεγάλῃ θυμὸν ἀμηχανίῃ; 734: θεῶν μηδὲν ὀπιζόμενος; 764: μηδὲν τὸν Μήδων δειδιότες; 1148: θεῶν ἀθανάτων οὐδὲν ὀπιζόμενοι; Tyrtae. 8, 27: καὶ χρόα γυμνωθέντα; referri vero huc possunt etiam nonnulli loci, quos in prioribus attulimus, cum de accusativo verbis passivis adnexo verba faceremus.

A Graecis hoc dicendi genus sumpserunt Latini; increbuit vero hic usus demum temporibus Augusteis poetisque fere solis tribuendus est; postea etiam scriptores solutae orationis eum usurparunt saepissimeque adhibuit Tacitus (conf. Kuehner L. Gr. II. p. 216, § 72, 5; Draeger „Syntax d. Tacitus" § 39). Quod ad Horatium attinet, dicendum est eum substantivis numquam et rarissime verbis talem accusativum addidisse; conf. S. 2, 7, 57: tremis ossa pavore (Verg. Ge. 3, 84: tremit artus) et exempla, quae supra attulimus; saepius adiectivis accusativus relationis additur ut O. 1, 21, 11: insignemque pharetra fraternaque humerum lyra; O. 3, 10, 18: nec Mauris animum mitior anguibus; O. 4, 2, 60: cetera fulvus; Ep. 1, 10, 3: cetera paene

---

[1]) Sed conf. Hiller, praef. p. XVIII, qui huius fr. verba de Actaeonis obitu in heroic[illegible]s esse existimat.

gemelli; 1, 10, 50: cetera laetus (cf. Draeger H. S. I. p. 387 sq.; I. p. 392 sq.).

De adiectivis.

Graeci in rebus, quae ad tempus vel locum vel ordinem quendam rationem habent, significandis loco adverbiorum non raro adiectivis utuntur (conf. Kuehner Gr. Gr. II. p. 234, § 405), cuius usus cum apud alios, tum apud Lyricos multa exempla exstant:

a) adiectiva, quibus temporis notio inest; cf. Sappho 40, 1: ὅτα πάννυχος ἄσφι κατάγρει; Theogn. 1063: ἐν δ'ἥβῃ πάρα μὲν .... πάννυχον εὕδειν; Theog. 862: ἀλλ' ἐγὼ αὐτομάτη | ἑσπερίη τ' ἔξειμι καὶ ὀρθρίη αὖτις ἔσειμι[1]); Timoth. 12, 3: νέος ὁ Ζεὺς βασιλεύει; Theocr. 2, 4: ὅς μοι δωδεκαταῖος ἀφ' ὦ τάλας οὐδὲ ποθίκει; 10, 12: ἀλλ' ἐγώ, ὦ Μίλων, ἔραμαι σχεδὸν ἑνδεκαταῖος; 14, 2: Αἰ. ὡς χρόνιος. Θ. χρόνιος; 13, 32: κατὰ ζυγὰ δαῖτα πένοντο | δειελινοί; 16, 93: ἐρχόμεναι σκνιφαῖον ἐπισπεύδοιεν ὁδίταν; 16, 95: ποιμένας ἐνδίους πεφυλαγμένος; 25, 56: χθιζός γ' εἰλήλουθεν ἀπ' ἄστεος; 25, 223: ἤτοι ὁ μὲν σήραγγα προδείελος ἔστιχεν; ἔννυχος; cf. Pind. Pyth. 3, 78: τὰν κοῦραι παρ' ἐμὸν πρόθυρον σὺν Πανὶ μέλπονται θαμὰ σεμνὰν θεὸν ἐννύχιαι; 11, 25: ἔννυχοι πάραγον κοῖται; ἰθύς; cf. Callin. 1, 9: ἀλλά τις ἰθὺς ἴτω; ἑσπέριος in Philodem. (A. P. V.) 25, 2: ἤλυθον ἑσπέριος; ἦρος[2]) in A. P. V. 3, 1: πάλαι δ' ἠῷος ἀλέκτωρ κηρύσσων φθονερὴν Ἠριγένειαν ἄγει; ὀρθρίδιος in A. P. V. 3, 6: Ἠῶ οὕτως ὀρθριδίην ἤλασας.

b) adiectiva, quae ad locum vel ordinem quendam respectum habent; cf. Pind. Pyth. 9, 62: ταὶ δ' ἐπιγουνίδιον θαησάμεναι βρέφος αὐτᾶς (Bgk., libri θηκάμεναι vel κατθηκάμεναι); Simonid. 144, 1: τόξα τάδε πτολέμοιο πεπαυμένα δακρυόεντος | νηῷ Ἀθηναίης κεῖται ὑπωρόφια; Theog. 943: ὧδε καταστὰς | δεξιός; Theocr. 24, 93: (κόνιν πυρὸς) ῥιψάτω εὖ μάλα πᾶσαν ὑπὲρ ποταμοῖο φέρουσα ῥωγάδος ἐκ πέτρας ὑπερούριον (Reisk. emendav. pro vulg. ὑπὲρ οὔριον); 22, 152: ἣ μὲν πολλάκις ὔμμιν ἐνώπιος ἀμφοτέροισιν; Theog. 3: ἀλλ' αἰεὶ πρῶτόν τε καὶ ὕστατον ἔν τε μέσοισιν | ἀείσω (sed cf. G. ab Hartel in „Melet. Vindo." I. p. 1 s.); 912: φροντίζω τούτων ἥντιν'

[1]) De sensu cf. G. ab Hartel in „Melet. Vindob." I. p. 20 s.

[2]) Conferri potest etiam Plato. 15, 1 s.: ἀστὴρ πρὶν μὲν ἔλαμπες ἐνὶ ζωοῖσιν ἑῷος, | νῦν δὲ θανὼν λάμπεις Ἕσπερος ἐν φθιμένοις.

ἴω προτέρην; 1146: ἐλπίδι τε πρώτῃ καὶ πυμάτῃ θυέτω; Telest. 2, 2: Λυδὸν ὃς ἅρμοσε πρῶτος; 4, 1: πρῶτοι .... συνοπαδοὶ ... ἄεισαν νόμον; frg. ad. 39, 4 (Bergk. ed. II. p. 543): (πέλας) Ἄλκαινα πρώτα[1]); 39, 8: πρῶτος γὰρ Μέλαμπος; 39, 10: πρῶτοι φάγον; Diphil. 1, 2 (p. 122): ὃς πρῶτος ἅρματ' ἤλασεν.

c) adiectiva, quae modum vel condicionem quandam significant; cf. Pind. Nem. 1, 51: Καδμείων ἀγοὶ ... σὺν ὅπλοις ἔδραμον ἀθρόοι; Sapph. 104, 5: ᾇ σὺ χαρεῖσα | πρόφρων ἀμετέραν εὐκλέισον γενεάν; Anacreon. 100, 1: πρόφρων, ἀργυρότοξε, δίδου χάριν; Bacchyl. 40, 2: πρόφρων (Κραναΐδῶν) ἱμερόεντα χορὸν | αἰὲν ἐποπτεύοις; Simmiae „Ὠιόν", Bgk.[3] p. 513, v. 3: πρόφρων δὲ θυμῷ δέξο; Ibyci 2, 6: ἀέκων σὺν ὄχεσφι θοοῖς ἐς ἅμιλλαν ἔβα; Semonid. 7, 99: οὐ γάρ κοτ' εὔφρων ἡμέρην διέρχεται; 7, 86: φίλη δὲ σὺν φιλεῦντι γηράσκει πόσι; Anacreon. 42, 1: καί μ' ἐπίβωτον κατὰ γείτονας ποιήσεις; 84, 2: ἥσυχος καθεύδει; 2, 6: σὺ δ' εὐμενὴς | ἔλθ' ἡμῖν; Theog. 331: ἥσυχος, ὥσπερ ἐγώ, μέσσην ὁδὸν ἔρχεο ποσσίν; Bacchyl. 41, 3: εὐξαμένῳ γάρ οἱ ἦλθε βοηθόος; Solon. 18, 3: ἐμὲ ξὺν νηὶ θοῇ κλεινῆς ἀπὸ νήσου | ἀσκηθῆ πέμποι; Theog. 363: ὅταν δ' ὑποχείριος ἔλθῃ; 733: ὅστις (ἀπ)ηνὴς ἐργάζοιτο; Astydam. 1, 3: ὡς ἐπ' ἀληθείας ἐκρίθην ἀφεθεὶς παράμιλλος; Archil. 58, 1: πολλοὺς μὲν αὐτῶν Σείριος καταυανεῖ | ὀξὺς ἐλλάμπων; Callimach. 192, 1 (Bergk. ed. II. p. 163): ἔρχεται πολὺς μὲν Αἰγαῖον διατμήξας ἀπ' οἰνηρῆς Χίου; Eueni 2, 5: εἰ δὲ πολὺς πνεύσειεν; Theogn. 782: (ἀλλὰ σύ, Φοῖβε,) ἵλαος ἡμετέρην τήνδε φύλασσε πόλιν; Theocr. 22, 90: σὺν δὲ μάχην ἐτάραξε, πολὺς δ' ἐπέκειτο νενευκὼς | ἐς γαῖαν; Carm. popul. 8, 3: ὁ θεὸς ὀρθὸς ἐσφυδωμένος.

Neque minus usitatum quam apud Graecos hoc dicendi genus est apud Latinos, etsi non tam frequenter adhibetur; boni quidem scriptores hanc constructionem ad certa quaedam adiectiva tritasque locutiones restrinxerunt; poetae vero longius processerunt proximeque hoc modo ad Graecorum dicendi rationem accedunt (cf. Kuehner L. Gr. II. p. 176, § 63; Draeger H. S. I. p. 352 s., § 159; Haacke „Gramm.-histor. Lehrbuch" § 8). Inter poetas temporis Augustei primum locum obtinet

[1]) Conf. Hiller, praef. XVIII, qui verba de Actaeonis obitu, quae codices Apollodori in libri III. cap. 4 extremo exhibent, in versus heroicos redigendos esse existimat.

Horatius, cuius in carminibus innumera fere exempla inveniuntur; *a)* ex adiectivis, quae ad tempus rationem habent, saepissime adhibetur „serus“; cf. O. 1, 2, 45: serus in coelum redeas; 1, 15, 19: serus adulteros crines pulvere collines; S. 2, 7, 33: (iusserit ad se) serum venire convivam; Ep. 2, 1, 161: serus enim Graecis admovit acumina chartis; O. 3, 8, 22: sera domitus catena; cui accedit „vespertinus“; cf. Epo. 16, 51: nec vespertinus circumgemit ursus ovile; S. 1, 6, 113: vespertinumque pererro saepe forum; Ep. 1, 6, 20: vespertinus pete tectum; „nocturnus“; cf. S. 1, 3, 117: et qui nocturnus sacra divum legerit; S. 2, 6, 100: (urbis aventes) moenia nocturni subrepere; A. p. 269: nocturna versate manu, versate diurna; Epp. 1, 19, 11: nocturno certare mero, putere diurno; *b)* adiectiva, quae ad locum vel ordinem quendam respiciunt ut „domesticus“ in S. 1, 6, 128: domesticus otior; „primus“ in O. 1, 3, 11: commisit pelago ratem primus; 4, 4, 41: qui primus alma risit adorea; 4, 9, 17: primusve Teucer tela Cydonio direxit arcu; 4, 9, 23: excepit ictus pro pudicis coniugibus puerisque primus; S. 2, 4, 73 sq.: ego faecem primus et allec, primus et invenior piper album .... circumposuisse catillis; cf. S. 2, 1, 63; 2, 8, 51; Epp. 1, 6, 48; Epp. 1, 19, 23; A. p. 130; *c)* adiectiva, quae modum vel condicionem quandam exprimunt ut „sapiens“ in O. 1, 7, 17: sic tu sapiens finire memento[1]); S. 1, 1, 67: illis utitur ante | quaesitis sapiens; S. 2, 7, 73: praetereo sapiens argentea; „blandus“ in O. 3, 23, 18: non sumptuosa blandior hostia mollivit; Ep. 2, 1, 135: implorat docta prece blandus; „frequens“ in O. 3, 1, 34: huc frequens caementa demittit redemptor; „prudens“ in O. 1, 3, 21: deus abscidit | prudens; S. 2, 3, 206: prudens placavi; 2, 3, 212: cum prudens scelus ob titulos admittis; S. 2, 7, 66: ibis sub furcam prudens; A. p. 462: qui scis an prudens huc se proiecerit; „cautus“ in O. 2, 10, 3: cautus horrescis: S. 2, 5, 88: cautus

---

[1]) Sed conf. H. Stephani observatt. in Horat. p. 107, qui adiectivo „sapiens“ sensum condicionalem inesse contendit, quam si legeretur „si sapiens es etc.“; cuius rei exempla affert adiectiva „stultus“ in S. 2, 6, 8: si veneror stultus nihil horum; Ep. 1, 2, 24; „malignus“ O. 1, 28, 23; „horridus“ O. 3, 21, 10; „pervicax“ O. 3, 3, 70; „procax“ O. 2, 1, 37; „sanus“ Ep. 1, 1, 8.

adito; „impudens“ in O. 4, 13, 4: bibis impudens; O. 3, 27, 49 sq.: impudens liqui patrios penates, impudens Orcum moror[1]); „catus“ in O. 1, 10, 3: voce formasti catus; „aequus“ in O. 1, 12, 57: te minor laetum reget aequus orbem; „certus“ in O. 1, 7, 27: certus enim promisit Apollo; „audax“ in S. 2, 5, 29: qui meliorem audax vocet in ius; „callidus“ in Ep. 1, 10, 26: contendere callidus ostro nescit; S. 2, 3, 23: callidus huic signo ponebam milia centum; „insolens“ in Epo. 16, 14: dissipabit insolens; „improbus“ in Ep. 1, 10, 40: dominum vehet improbus; „libens“ in Ep. 1, 14, 44: quam scit uterque, libens, censebo, exerceat artem; „violens“ in Ep. 1, 10, 37: victor violens discessit ab hoste; „inmoderatus“ in S. 2, 5, 89: inmoderatus abundes; deinde participio „pransus“ hoc modo utitur poeta in S. 1, 6, 128: pransus non avide domesticus otior (cf. Scolior. [Solon.] 30, 1: πεφυλαγμένος ἄνδρα ἕκαστον ὅρα).

Denique his locis adnumerandus est ille difficillimus O. 1, 7, 8: plurimus in Iunonis honorem | aptum dicet equis Argos ditesque Mycenas.

Oudendorpius negavit Latine sic scribi posse; quare emendandum esse locum censuit hoc modo: „plurimus in Iunonis honore“ eumque secuti sunt Peerlkamp, Haupt, L. Mueller, Keller (cf. Epileg. p. 31) aliique; sed verba „in honorem alicuius“ similiaque saepius inveniuntur (conf. Quintil. 1, 1, 6: in sexus honorem; 11, 2, 12: in honorem victoriae; Propert. 4, 6, 13: Caesaris in nomen ducuntur carmina; Liv. 2, 27, 6: quod facile apparebat non tam ad honorem eius factum), etsi „videtur illa consuetudo esse iam mutatae Latinitatis, cuius exempla ante Augustum non reperiantur“ (Peerlkamp ad h. l.); deinde „plurimus in Junonis honorem“ dictum est ut etiam aliis locis a Latinis „multus“ et a Graecis „πολύς, πλεῖστος“ adhibetur (cf. Vechner Hellenolex. II. p. 264). E Graecis addi possunt exemplis iam supra allatis haec: Pind. Pyth. 3, 106: (ὄλβος οὐκ ἐς μακρὸν ἀνδρῶν ἔρχεται), ὃς πολὺς εὖ τ' ἂν ἐπιβρίσαις ἕπηται (Bgk., libri ὃς πολὺς εὖτ', Diss. παμπολὺς); Nem. 7, 74: εἰ πόνος ἦν, τὸ τερπνὸν πλέον πεδέρχεται;

[1]) Aliter rem explicat Schütz I. p. 56, qui praeterea adfert adiectiva „bonus“ in S. 2, 4, 5: sed des veniam bonus, oro; „clemens“ O. 3, 11, 46; „strenuus“ Ep. 1, 7, 71; „impar“ Ep. 1, 1, 96.

Callimach. 192, 1 s. (Bergk. ed. II. p. 163): Ἔρχεται πολὺς μὲν Αἰγαῖον διατμήξας ἀπ' οἰνηρῆς χίου | ἀμφορεύς, πολὺς δὲ Λεσβίης ἄωτον νέκταρ οἰνάνθης ἄγων; cf. Pseudophocyl. 1, 193: Μηδ' ἐς ἔρωτα γυναικὸς ἅπας ῥεύσῃς ἀκαθέκτος.[1])

Simili modo Latini adiectivis „multus, plurimus“ usi sunt (cf. Kuehner L. Gr. II. p. 177), ut Ovidius in Met. 11, 140: plurimus exit; Cicero „de off.“ 2, 16, 56: (Theophrastus) multus est in laudanda magnificentia; Sallust. Iug. 96, 3: in agmine atque ad vigilias multus adesse; ipse Horatius in S. 1, 7, 28: salso multoque fluenti expressa arbusto regerit convicia. De Graecismo ergo loci Horatiani dubitari vix poterit; sensus autem est, ut Garckius l. a. recte explicat „alius aliquis, qui plurimus fertur in Junonis praedicationem dicet A.“ cet.

Poetarum denique liberiorem huius dicendi generis usum secuti sunt scriptores solutae orationis posteriores (cf. Draeger H. S. I. p. 352, § 159; Kuehnast „Liv. Synt.“ p. 56 s.). Si vero C. P. Schultzius („De Catullo Graecorum imitatore“, diss. Jen. 1871) p. 6 affirmat, saepenumero Catullum, qui hac in re non tantum processit quantum poetae aetatis Augustei et scriptores posteriores, antiqui vel cotidiani sermonis consuetudinem secutum adiectiva adverbiorum loco posuisse, ego quidem nescio, quibus argumentis ea sententia fulciri possit; immo vero antiqui scriptores rarius cautiusque hoc dicendi genere usi sunt quam posteriores (conf. Fr. G. Holtze „Syntax. prisc. scriptor. Lat.“ I. p. 27 s.).

De pronominibus.

Disputare hoc loco tantum modo in animo est de dicendi genere, quod in pronominibus relativis, quae dicuntur, non raro observatur quodque grammatici attractionem vocant.

Duplex apud scriptores Graecos attractio discerni potest: prior statuenda est, si pronomen relativum in eodem casu

---

[1]) Apud scriptores quoque solutae orationis has locutiones pervulgatas esse demonstrant hi loci: Herodot. 1, 120, 3: καὶ αὐτὸς ταύτῃ πλεῖστος γνώμην εἰμί; 7, 158, 1: πολλὸς ἐνέκειτο λέγων; 7, 220: ταύτῃ καὶ μᾶλλον τῇ γνώμῃ πλεῖστός εἰμι; 8, 59, 1: πολλὸς ἦν ὁ Θεμιστοκλέης ἐν τοῖσι λόγοισι; 9, 91: πολλὸς ἦν λισσόμενος ὁ ξεῖνος ὁ Σάμιος; Thucyd. 4, 22: Κλέων πολὺς ἐνέκειτο λέγων; Polyb. 5, 49, 7: πολὺς ἦν πρὸς ταῖς παρασκευαῖς; Plut. 16, 6, 4: πολὺς ἦν συναθροίζων τὰς ναῦς; Diod. 14, 107, 4: πολὺς ἦν ἐπὶ τῇ κατ' αὐτῶν τιμωρίᾳ.

ponitur, quo nomen antecedens, ad quod pronomen pertinet vel refertur; quae constructio usitata apud Graecos et poetas et scriptores solutae orationis (cf. Kuehner Gr. Gr. II. p. 912, § 555) e Lyricorum fragmentis paucis locis probatur, qui leguntur in Solon. 27, 8: ἰσχύν, ἥν τ' ἄνδρες σήματ' ἔχουσ' ἀρετῆς, quo pronomen ad unum spectat verbum ἰσχύν, non ad enuntiatum, quod sequitur; Theogn. 299 sq.: Οὐδεὶς λῇ φίλος εἶναι, ἐπὴν κακὸν ἀνδρὶ γένηται, οὐδ' ᾧ κ'ἐκ γαστρός, Κύρνε, μιῆς γεγόνῃ, ubi ᾧ positum est pro τούτῳ (ἀνδρί), ὅς κ. τ. λ.

A Graecis hanc dicendi rationem sumpserunt Latini; sed admodum pauca eius rei inveniuntur exempla; eximium exstat in Horatii S. 1, 6, 14: notante iudice, quo nosti populo; codices omnes exhibent „quo", quod nonnulli corrigere studuerunt legentes „quem"; sed nihil mutandum est; iure Bentleius hic agnoscit locutionem e Graeco fonte haustam, qua pronomen eodem casu ponitur quo nomen antecedens; conf. Terent. Heaut. 1, 1, 35: Hac quidem causa, qua dixi tibi; Ov. Trist. 5, 6, 36: isto, quo reris, grandius illud erit; Cic. ad Att. 10, 8, 7: nos tamen hoc confirmamus illo augurio, quo diximus (cf. Reisig L. Sprachw. p. 624; Draeger „H. S." II.² p. 507; Krueger „Untersuchungen" III. p. 259).

Alterum attractionis genus habemus, si nomen antecedens a pronomine attrahitur, ut sic dicam, eodemque casu ponitur vel etiam a suo adiectivo abripitur et in enuntiatum relativum trahitur; quam attractionem grammatici vocant inversam. Graeci eam etiam in soluta oratione saepissime in casu primo et quarto, rarius in reliquis adhibent; cf. Kuehner Gr. Gr. II. p. 918; § 555, 4. E Lyricis exempla afferri possunt haec: *a)* Theogn. 907 s.: εἰκὸς ἂν ἦν, ... φείδεσθαι μᾶλλον τοῦτον ὃν εἶχε βίον; Solon. 12, 9 sq.: πλοῦτον δ' ὃν μὲν δῶσι θεοί, παραγίγνεται ἀνδρὶ | ἔμπεδος ἐκ νεάτου πυθμένος εἰς κορυφήν; Theog. 382: οὐδ' ὁδὸν ἥν τις ἰὼν ἀθανάτοισιν ἅδοι; Tyrtae. 10, 32: γίγνεται ἀθάνατος, ὅντιν' ἀριστεύοντα μένοντά τε μαρνάμενόν τε γῆς πέρι καὶ παίδων θοῦρος Ἄρης ὀλέσῃ; *b)* Anacreon 90, 1 sq.: οὐ φιλέω, ὃς κρητῆρι παρὰ πλέῳ οἰνοποτάζων νείκεα καὶ πόλεμον δακρυόεντα λέγει; Erinn. 6, 5, p. 296: (ὑφ') αἷς ἀείδετο πεύκαις, | ταῖσδ' ἐπὶ καδεστάς; Solon. 13, 2: πάντες, ὅσους θνητοὺς ἠέλιος καθορᾷ; Xenophan. 2, 17: τόπερ ἐστὶ πρότιμον | ῥώμης ὅσσ' ἀνδρῶν ἔργ' ἐν ἀγῶνι πέλει; Theocr. 7, 50: εἴ τι κ' ἀρέσκοι, τοῦθ' ὅτι πρᾶν ἐν ὄρει τὸ μελύδριον

ἐξεπόνασα; conf. Eueni 3, 2, p. 132: ὀρθῶς γιγνώσκειν οἷος ἕκαστος ἀνήρ; Scol. 5, 1: ὁποῖός τις ἦν ἕκαστος, τὸ στῆθος διελόντ'; Scol. 12, 4: οἵ τότ' ἔδειξαν, οἵων πατέρων ἔσαν; Theogn. 1005: ξυνὸν δ' ἐσθλὸν τοῦτο πόληί τε παντί τε δήμῳ, ὅστις ἀνὴρ διαβὰς ἐν προμάχοισι μένει; Tyrtae. 10, 16: ὅστις ἀνὴρ διαβάς; 6, 3: ἥμισυ παντὸς ὅσον καρπὸν ἄρουρα φέρει. Sed ut iam Latinorum mentionem faciamus, etiam haec inversa, quae dicitur, attractio in usu est; at multo rarius invenitur quam apud Graecos. In Horatii carminibus duo loci exstant, qui huc referri possunt: S. 2, 2, 59: cuius odorem olei nequeas perferre; S. 2, 4, 12: longa quibus facies ovis erit; conf. etiam Verg. Aen. I, 573: urbem, quam statuo, vestra est; et exempla, quae congessit G. T. A. Krueger l. a. p. 223 s. Nonnulli loci inveniuntur, quibus nomen enuntiati superioris a suo adiectivo abreptum in enuntiatum relativum trahitur ut in Epo. 2, 37: quis non malarum, quas curas amor habet, haec inter obliviscitur? S. 1, 4, 2: atque alii, quorum comoedia prisca virorum est; S. 1, 10, 16: illi, scripta quibus comoedia prisca viris est. Sed de hoc attractionis genere dubitari potest, num e Graeco fonte haustum sit, etsi poetis fere solis tribuendum est; sed conf. Cic. ad Quint. 2, 3 extr.: de iis, quae in Sestium apparabantur crimina.

Similiter res se habet in O. 4, 14, 7: „quem legis expertes Latinae Vindelici didicere nuper, quid Marte posses“, quo loco subiectum enuntiati relativi in enuntiato superiore ponitur; conf. O. 4, 14, 17 s.: spectandus in certamine Martio, | devota morti pectora liberae | quantis fatigaret ruinis.

Kuehner quidem in Gr. Lat. II. p. 847, § 193, 10 contendit, haec attractionis genera, quae attulimus, omnia antiquae et simplicis linguae Latinae dicendi rationis esse et propterea apud Plautum et Terentium saepissime inveniri; sed recte Unterberger l. a. p. 15 monet, nihil obstare, quominus putemus difficiliora eorum iam a veteris comoediae poetis e Graeca in Latinam linguam translata esse; quae sententia probatur etiam eo, quod a bonis solutae orationis scriptoribus ex gr. attractio, quae recta dicitur, non usurpatur, quae a posterioribus demum scriptoribus saepius adhibita sit; cf. de hac re G. T. A. Krueger „Die Attraction in d. Lat. Sprache“ p. 124 s.; Holtze I. p. 351, 5; 371, 6; 372, 20; 373; 387 s.

De verbo.

De indicativo. Graeci non raro verbis, quae animi motum significant ut θαυμάζειν, ἄχθεσθαι similibusque enuntiatum causale adnectunt non cum particula ὅτι sed cum coniunctione εἰ (conf. Kuehner Gr. Gr. II. p. 930, § 557, 8; Krueger gr. gr. § 65, a 7); apud Lyricos loci, quibus εἰ in causalem vim abiit, exstant hi: Solon. 28, 1 sq.: εἰ δὲ γῆς ἐφεισάμην | πατρίδος, τυραννίδος δὲ καὶ βίης ἀμειλίχου | οὐ καθηψάμην μιάνας καὶ καταισχύνας κλέος, | οὐδὲν αἰδεῦμαι; 10, 1 sq.: εἰ δὲ πεπόνθατε λυγρὰ δι' ὑμετέρην κακότητα, | μὴ θεοῖσιν τούτων μοῖραν ἐπαμφέρετε; Theocr. 5, 35: μέγα δ'ἄχθομαι, εἰ τύ με τολμῇς | ὄμμασι τοῖς ὀρθοῖσι ποτιβλέπεν; cf. Pind. Ol. 9, 25: ἀγγελίαν πέμψω ταύταν, εἰ σύν τινι μοιριδίῳ παλάμᾳ ἐξαίρετον Χαρίτων νέμομαι κᾶπον; Tyrtae. 8, 11 sqq.: εἰ δ' οὕτως ἀνδρός τοι ἀλωμένου οὐδεμί' ὤρη | γίγνεται, οὔτ' αἰδὼς οὔτ' ὄπις οὔτ' ἔλεος, θυμῷ γῆς πέρι τῆσδε μαχώμεθα καὶ περὶ παίδων | θνήσκωμεν ψυχέων μηκέτι φειδόμενοι.

Simili modo ut a Graecis coniunctio εἰ, a Latinis „si" usurpatur cum indicativo (cf. Kuehner L. Gr. II. p. 945, § 219, 2; Schmalz „Antibarbarus" II. p. 522); saepissime hoc modo ab Horatio adhibitum est verbum „miror"; cf. Ep. 1, 15, 39: non miror, si qui comedunt bona; 1, 12, 12: miramur, si Democriti pecus edit agellos; 1, 17, 26: mirabor, vitae via si conversa, decebit; A. p. 424: mirabor, si sciet internoscere mendacem verumque beatus amicum; sed cf. S. 1, 1, 86 s.: miraris, cum tu argento post omnia ponas, | si nemo praestet, quem non merearis, amorem?, ubi coniunctivus exstat; complura huius usus exempla e poetis et scriptoribus solutae orationis congessit Draeger „Hist. Synt." II. p. 734 s., § 552.

De imperfecto. Imperfectum nonnumquam respectis aliis rebus, quae ad tempus praeteritum pertinent, usurpatur, etsi res per praesens etiam tempus durat; cf. Krueger Gr. Gr. § 53, 2, 4; quo spectant loci: Theogn. 667: εἰ μὲν χρήματ' ἔχοιμι, Σιμωνίδη, οἷα (πάροιθεν), οὐκ ἂν ἀνιῴμην τοῖς ἀγαθοῖσι συνών; 905: εἰ μὲν γὰρ κατιδεῖν βιότου τέλος ἦν, ὁπόσον τις | ἤμελλ' ἐκτελέσας εἰς Ἀίδαο περᾶν, | εἰκὸς ἂν ἦν, ὃς μὲν πλείω χρόνον αἶσαν ἔμιμνεν, | φείδεσθαι μᾶλλον τοῦτον ὃν εἶχε βίον; saepius vero adhibetur, ut exprimatur rem prius non cognitam tum demum perspici (cf.

Krueger gr. gr. § 53, 2, 6); afferri possunt hi loci: Theogn. 787 s.: ἀλλ' οὔτις μοι τέρψις ἐπὶ φρένας ἦλθεν ἐκείνων. | οὕτως οὐδὲν ἄρ' ἦν φίλτερον ἄλλο πάτρης; Theocr. 5, 79: ὦ Παιάν, ἦ στωμύλος ἦσθα, Κομάτα; 23, 4: κοὐκ ᾔδει τὸν Ἔρωτα, τίς ἦν θεός.

In Horatii carminibus duo huius dicendi generis loci inveniuntur, qui certe ad Graecorum usum formati sunt: O. 1, 27, 19: (a miser,) quanta laborabas Charybdi! O. 1, 37, 4: nunc Saliaribus ornare pulvinar deorum tempus erat dapibus sodales.

Sed ut iam de aoristo agamus, Graeci eum saepissime usurpant in sententiis generalibus vel etiam in significandis rebus, quae, quia iam saepius factae et observatae sunt, iterum fieri possunt (cf. Kuehner Gr. Gr. II. p. 136, § 386, 7); cf. ex gr. Pind. Ol. 7, 31: αἱ δὲ φρενῶν ταραχαὶ παρέπλαγξαν καὶ σοφόν; 5, 16: ἠῢ δ' ἔχοντες σοφοὶ καὶ πολίταις ἔδοξαν ἔμμεν; Isth. 3, 18: αἰὼν δὲ κυλινδομέναις ἁμέραις ἄλλ' ἄλλοτ' ἐξάλλαξεν; Pyth. 2, 52: ἑτέροισι δὲ κῦδος ἀγήραον παρέδωκ'; Nem. 11, 39: καρπὸν ἔδωκαν ἄρουραι; luculentissimum huius rei exemplum exstat in Theogn. 661 sqq.: καὶ πρῆξαι μέντοι τι . . . . . καὶ ἐκ κακοῦ ἐσθλὸν ἔγεντο, | καὶ κακὸν ἐξ ἀγαθοῦ· καί τε πενιχρὸς ἀνὴρ | αἶψα μάλ' ἐπλούτησε· καὶ ὃς μάλα πολλὰ πέπαται, | ἐξαπίνης πάντ' οὖν ὤλεσε νυκτὶ μιῇ. καὶ σώφρων ἥμαρτε, καὶ ἄφρονι πολλάκι δόξα | ἔσπετο, καὶ τιμῆς καὶ κακὸς ὢν ἔλαχεν; cui accedit v. 500: ἀνδρὸς δ' οἶνος ἔδειξε νόον; cf. Jon. 1, 12: τῶν ἀγαθῶν βασιλεὺς οἶνος ἔδειξε φύσιν; Theog. 202: αὖθις ἔγεντο κακόν, θεῶν δ' ὑπερέσχε νόος; Semonid. 7, 44: ἤ σύν τ' ἀνάγκῃ σύν τ' ἐνιπῇσιν μόγις | ἔστερξεν; Scol. 33, 2 (Biant. p. 328): αὐθάδης δὲ τρόπος | πολλάκι δὴ βλαβερὰν ἐξέλαμψεν ἄταν; Scolior. [Thalis] 29, 1 p. 327: Οὔτι τὰ πολλὰ ἔπη φρονίμην ἀπεφήνατο δόξαν; saepe in eiusmodi enuntiatis tempora ita variant, ut modo aoristus modo praesens inveniatur ut in Solon. 12, 67 sqq.: ἀλλ' ὁ μὲν εὖ ἔρδειν πειρώμενος οὐ προνοήσας | εἰς μεγάλην ἄτην καὶ χαλεπὴν ἔπεσεν, | τῷ δὲ κακῶς ἔρδοντι θεὸς περὶ πάντα δίδωσιν | συντυχίην ἀγαθήν, ἔκλυσιν ἀφροσύνης; Conf. etiam Solon. 2, 16; 12, 18; 12, 29; 12, 54; Theog. 225 sq.: ἀλλ' ὁ μὲν οὐκ ἐθέλει κακοκερδείῃσιν ἕπεσθαι, | τῷ δὲ δολοπλοκίαι μᾶλλον ἄπιστοι ἅδον; Solon. 2, 18 sqq.: εἰς δὲ κακὴν ταχέως ἤλυθε δουλοσύνην, | ἣ στάσιν ἔμφυλον πόλεμόν θ' εὕδοντ' ἐπεγείρει, | ὃς πολλῶν ἐρατὴν ὤλεσεν ἡλικίην; Theog. 196: ἐπεὶ κρατερή μιν ἀνάγκη | ἐντύει, ἥτ' ἀνδρὸς τλήμονα θῆκε νόον; cf. frgm. mel. ad. 79, 2: τὺ καὶ σοφίας θακεῖς ἕδρας, καὶ τιμὰν βροτέοις ἐπέθηκας ἔργοις κ. τ. λ.

Contra ea Latini in sententiis generalibus saepius perfecto utuntur; qui usus apud poetas pervulgatus postea etiam in solutam orationem translatus est (cf. Kuehner L. Gr. II. p. 100; § 33, 9; Draeger H. S. I. p. 230 s.; Krueger L. Spr. § 445, a 2). In Horatii carminibus exempla exstant haec: O. 1, 11, 4: seu plures hiemes seu tribuit Juppiter ultimam; O. 1, 28, 20: (nullum) saeva caput Proserpina fugit; O. 2, 12, 17: quam nec ferre pedem dedecuit choris; O. 3, 2, 30: (saepe Diespiter) neglectus incesto addidit integrum; raro antecedentem scelestum deseruit pede Poena claudo; O. 3, 23, 17: immunis aram si tetigit manus, non sumptuosa blandior hostia mollivit aversos Penates farre pio; O. 3, 4, 51: fratresque tendentes opaco Pelion imposuisse Olympo; O. 3, 29, 16: sollicitam explicuere frontem; Ep. 1, 2, 48: (non aeris acervus et auri) aegroto domini deduxit corpore febres; Ep. 1, 10, 30: quem res plus nimio delectavere secundae; 1, 17, 37: sedit, qui timuit, ne non succederet; Ep. 1, 19, 48: ludus enim genuit trepidum certamen et iram; cum tempore praesenti perfectum coniungitur in O. 1, 34, 14: hinc apicem rapax | fortuna cum stridore acuto | sustulit, hic posuisse gaudet; O. 3, 3, 53: quicumque mundo terminus obstitit, | hunc tangat armis; A. p. 412: qui studet optatam cursu contingere metam, multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit; quocum cf. Verg. Aen. 5, 145: corripuere ruuntque effusi carcere currus, | nec sic immissis aurigae undantia lora | concussere iugis pronique in verbera pendent; Ge. 4, 212: rege incolumi mens omnibus una est; amisso rupere fidem constructaque mella diripuere ipsae et cratis solvere favorum; alia exempla congessit Draeger l. a. p. 253 s., § 127; quibuscum conf. Sapph. 2, 9 sq.: ἀλλὰ καμ μὲν γλῶσσα Ϝέαγε, λεπτὸν δ' | αὐτίκα χρῷ πῦρ ὑπαδεδρόμηκεν, | ὀππάτεσσι δ' οὐδὲν ὄρημ', ἐπιρρόμβεισι δ'ἀκουαί..... (v. 15) τεθνάκην δ'ὀλίγω 'πιδευ(ὴς) φαίνομαι ἀλλά.

Venimus iam ad temporis perfecti genus dicendi, quod apud Graecos passim invenitur, apud Latinos perpaucis locis ad Graecorum exemplum formatis exstat; inveniuntur enim multi loci, quibus tempus perfectum rem quidem actam et in se perfectam significat, quae vero per tempus praesens etiam durat, ita ut has formas non raro nostro praesenti vel futuro reddere debemus; conf. Kuehner Gr. Gr. II. p. 126, § 384;

Krueger Gr. Gr. 53, 2, 1 s. Apud Lyricos saepissime cum vi temporis praes. adhibetur δεδοικέναι ut apud Anacreon. 32, 4: διὰ ταῦτ' ἀνασταλύζω θαμὰ Τάρταρον δεδοικώς; Timoth. 7, 1: χρυσὸν δ' Ἑλλὰς οὐ δέδοικεν; Theog. 507: δέδοικα δὲ μήτι μάταιον ἔρξω θωρηχθείς; 764: τὸν Μήδων δειδιότες πόλεμον; 818: ὅττι δὲ μοῖρα παθεῖν, οὔτι δέδοικα παθεῖν; 39: Κύρνε, κύει πόλις ἥδε, δέδοικα δὲ μὴ τέκῃ ἄνδρα, ubi perfectum et praesens iuxta se posita sunt; conf. v. 1081; Ibyc. 14, 1: δέδοικα, μήτι ... ἀμείψω; Theocr. 15, 58: ἵππον καὶ τὸν ψυχρὸν ὄφιν τὰ μάλιστα δεδοίκω, quo loco perfectum Doricum s. Siculum, quod vocatur, exstat cum vi et exitu temporis praesentis; deinde „τεύχειν" in frg. elegiac. adesp. 2, 1 (p. 158): ἡ νεότης ἀσύφηλος ἀεὶ θνητοῖσι τέτυκται; Theocr. 3, 27: καἴκα δὴ 'ποθάνω, τό γε μὰν τεὸν ἀδὺ τέτυκται; „χεῖν" in Sapph. 97, 2: μελλίχροος δ' ἐπ' ἱμερτῷ κέχυται προσώπῳ; Theog. 110: τῶν πρόσθεν πάντων ἐκκέχυται φιλότης; frg. adesp. 63, 1 (p. 306): κέχυται πόλις ὑψίπυλος κατὰ γᾶν; Carm. pop. 12, 2 (p. 314): Ἐκκέχυται· κάλει θεόν; Lycophronid. 2, 3 (p. 295): ἐπεί μοι νόος ἄλλᾳ κέχυται; Simonid. 74, 2: (σῆμα) κέχυται; „πείθειν" in Pind. Ol. 1, 103 (106): πέποιθα δὲ ξένον μή τιν' ἀμφότερα καλῶν τε ἴδριν ἄμμε καὶ δύναμιν κυριώτερον τῶν γε νῦν .... δαιδαλωσέμεν; Theocr. 5, 28: ὅστις νικασεῖν τὸν πλατίον ὡς τὺ πεποίθεις; „λαγχάνειν" in Pind. Ol. 1, 53: ἀκέρδεια λέλογχεν θαμινὰ κακαγόρους; frg. mel. a. 82, 2: οἵ [τε] τὰν πρώταν λελόγχασι τιμάν; Theocr. 4, 40: αἰαῖ τῶ σκληρῶ μάλα δαίμονος, ὅς με λελόγχει; (ὄλωλα) in Tyrtae. 9, 14: πᾶσ' ἀπόλωλ' ἀρετή; Theogn. 891: ἀπὸ μὲν Κήρινθος ὄλωλεν; cf. 1141: εὐσεβέων δ' ἀνδρῶν γένος ἔφθιται; Anacreon. 66, 1: στέφανος πόλεος ὄλωλεν; Critiae 2, 20: πρός θ' ὕπνον ἥρμοσται (πόσις); Dionys. Chalc. 5, 3: τὸ γὰρ φίλον οὐκ ἀπόλωλεν; „φύειν" in Pind. frg. 264 (249): τὰ δεύτερα τῶν προτέρων πεφυκέναι κρατεῖν; Theogn. 1185: τὰ δ' ἐν παύροισι πέφυκεν ἀνδράσιν; Theocr. 11, 1: οὐδὲν πὸτ τὸν ἔρωτα πεφύκει φάρμακον ἄλλο; „λήθειν" in Solon. 12, 27: αἰεὶ δ' οὔ ἑ λέληθε διαμπερές, ὅστις ἀλιτρὸν θυμὸν ἔχει; Theog. 121: εἰ δὲ φίλου νόος ἀνδρὸς ἐνὶ στήθεσσιν λελήθῃ | ψυδρὸς ἐών; „καλεῖν" in Theog. 1229: ἤδη γάρ με κέκληκε θαλάσσιος οἴκαδε νεκρός; Hybrias 1, 5 (p. 270): δεσπότας μνοίας κέκλημαι; „κρίνειν" in Theogn. 1038: ὡς ἐν ἐμῇ γνώμῃ, Κύρνε, πάλαι κέκριται; τρέφειν in Theogn. 42: τετράφαται πολλὴν ἐς κακότητα πεσεῖν; conf. v. 1082 b; „ὁρᾶν" in Platon. 8, 2 (p. 138): (ὅτι καλὸς) ὦπται καὶ πάντῃ πᾶσ τις ἐπιστρέφεται; Theocr. 4, 7: καὶ πόκα τῆνος ἔλαιον ἐν

ὀφθαλμοῖσιν ὀπώπει; quibus accedunt Sapph. 22, 2: μαψυλάκαν γλῶσσαν πεφυλάχθαι; 96, 1: σοὶ μὲν δὴ γάμος, ὡς ἄραο, ἐκτετέλεστ'; Alcman. 43, 1: ἁ Μῶσα κέκλαγ', ἁ λίγεια Σηρήν; Alcae. 56, 1: παῖσα δ' Ἄρῃ κεκόσμηται στέγα; 16, 2: πεπάγασιν δ' ὑδάτων ῥοαί; Anacreon. 5, 1: μεὶς μὲν δὴ Ποσιδηιὼν | ἕστηκεν; 32, 3: γλυκεροῦ δ' οὐκέτι πολλὸς βιότου χρόνος λέλειπται; cf. 69, 3: μεμάθηκα; 75, 2: ἐκκεκωφέαται; Ariphron. 1, 8: τέθαλεν πάντα καὶ λάμπει; Tyrtae. 10, 28: ἀργαλέῳ τε πόθῳ πᾶσα κέκηδε πόλις: Theog. 178: γλῶσσα δέ οἱ δέδεται; 825: πῶς ὑμῖν τέτληκεν ... ἀείδειν; 961 sq.: νῦν δ' ἤδη τεθόλωται, ὕδωρ δ' ἀναμίσγεται ἰλυῖ, | ἄλλης δὴ κρήνης πίομαι ἢ ποταμοῦ (cf. de h. loco G. ab Hartel in „Melet. Vindob.“ I. p. 19); 1077: ὄρφνη γὰρ τέταται· πρὸ δὲ τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι; Criti. 2, 20: πρός θ' ὕπνον ἥρμοσται (πόσις); Simonid. 94, 2: Ἀρχεδίκην ἥδε κέκευθε κόνις; [80], 1: Εὐκλέας αἶα κέκευθε; [90], 4: ἄψυχ' ἐμψύχων ἅδε κέκευθε κόνις; [112], 1: Ἐνθάδε Πυθώνακτα κασίγνητόν τε κέκευθεν | γαῖ'; Philostephan. (Bergk. ed. II. p. 164) 1, 1: χεῦμα λέλεκται | αἰνότατον; Semonid. 7, 14: πάντῃ δὲ παπταίνουσα καὶ πλανωμένη | λέληκεν, ἢν καὶ μηδέν' ἀνθρώπων ὁρᾷ; 7, 28: τὴν μὲν γελᾷ τε καὶ γέγηθεν ἡμέρην; 7, 89: θείη δ' ἀμφιδέδρομεν χάρις; Theocr. 7, 83: ὦ μακαριστὴ Κομάτα, τύ θην τάδε τερπνὰ πεπόνθεις; sunt vero, qui plusquamperfectum esse censeant; conf. Morsbach „De dialecto Theocrit.“ Bonn. 1874 ed. p. 70; frg. melic. ad. 83, 2: καρτερὰ τούτῳ κέκλωστ' ἀνάγκα.

Inveniuntur quidem huius usus vestigia etiam apud Latinos; sed pauca sunt nec non difficilia explicatu; cf. Heraeum ad Tac. Hist. 1, 10, 15; in Horatii carminibus duo loci exstant, qui huc spectant:

O. 3, 5, 1: coelo tonantem credidimus Jovem regnare, ubi „credidimus“ non, ut Nauckius et Krueger putant, vim temporis perfecti habet; nam sensui contradiceret: adhuc credidimus, nunc vero aliam sententiam feremus, sed significat, ut Dillenburger ad h. l. recte monet: „semper et credidimus et credemus“. Alter locus est in O. 3, 16, 18: iure perhorrui late conspicuum tollere verticem, ubi „perhorrui“ eodem modo dictum est, quo ἀπέῤῥιγα vel δέδοικα a Graecis adhibetur.

De infinitivo.

Ut lingua Graeca in universum constructionum varietate et multitudine Latinae longe excellit (cuius rei iam in prioribus

satis multa exempla vidimus), sic potissimum in iis, quae ad infinitivum spectant, illius cum uberrima tum liberrima dicendi ratio apparet. Quare mirum esse non potest hac in re poetas Latinos multa e Graecorum dicendi usu in suum contulisse; quod ut dici debet de poetis temporis Augustei, sic valet etiam de Horatio; sed cavendum est, ne Horatii verbis „dabitur licentia sumpta pudenter“ (A. p. 51) neglectis supra modum excedamus prudentiamque, quae in his structuris non usitatis maxima esse debet, omittamus; at nihilo minus magnus restat structurarum numerus, quas omnes ad Graecorum exemplum formatas esse conspicuum est.

Incipiamus vero a verbis auxiliariis, quae dicuntur; verba „velle, nolle“ et a Graecis et a Latinis cum infinitivo coniungi notum est; Horatius autem et poetae aequales nec non posteriores etiam aliis verbis, quibus notio illorum verborum latiore tantum modo sensu inest, infinitivum adnectunt; qua in re Graecorum dicendi rationem secuti sunt; Graeci enim multa verba, quae motum quendam animi significant, cum infinitivo coniungunt; apud Lyricos primum locum obtinent verba amandi ut φιλεῖν; cf. Pind. Nem. 1, 12: (μεγάλων δ' ἀέθλων) Μοῖσα μεμνᾶσθαι φιλεῖ; Pyth. 3, 17: ἰαχὰν ὑμεναίων, ἅλικες οἷα παρθένοι φιλέοισιν ἑταῖραι ἑσπερίαις ὑποκουρίζεσδ' ἀοιδαῖς; P. 1, 90: εἴπερ τι φιλεῖς ἀκοὰν ἁδεῖαν αἰεὶ κλύειν; Phoenic. 1, 6 (Bergk. II. p. 217): φιλεῖ γὰρ αὕτη πάγχυ ταῦτα δαίνυσθαι; „ἔρασθαι“ in Pind. Nem. 1, 31: οὐκ ἔραμαι πολὺν ἐν μεγάρῳ πλοῦτον κατακρύψαις ἔχειν; Pyth. 4, 92: (Τιτυὸν βέλος Ἀρτέμιδος θήρευσε κραιπνόν.) . . . ὄφρα τις τᾶν ἐν δυνατῷ φιλοτάτων ἐπιψαύειν ἔραται; Theog. 1155: οὐκ ἔραμαι πλουτεῖν; 1191: οὐκ ἔραμαι κλισμῷ βασιληίῳ ἐγκατακεῖσθαι | τεθνεώς; Scol. 18, 1 s. (p. 325): τὰν δ' ἔραται λαβεῖν· τὴν δ' ἔραμαι λαβεῖν; Anacreon. 33, 1: ἔραμαι δέ τοι συνηβᾶν.

Deinde verba cupiendi et desiderandi ut „εὔχεσθαι“ in Pind. Pyth. 4, 293: ἀλλ' εὔχεται . . . οἶκον ἰδεῖν; Xenophan. 1, 15: καὶ εὐξαμένους τὰ δίκαια δύνασθαι | πρήσσειν; „ἱμείρειν“ in Solon. 12, 7: χρήματα δ' ἱμείρω μὲν ἔχειν [1]); Sapph. 1, 26: ὅσσα δέ μοι τελέσσαι | θυμὸς ἱμέρρει; Theocr. 25, 183: τοσόνδε . . . κνώδαλον εὕροις | ἱμείρων ἰδέειν; („μάω“) in Sapph. 1, 18: τίνα δηὖτε Πειθὼ | μαῖς ἄγην ἐς σὰν

[1]) Conf. Solon. 4, 11 (Buchhlz.): χρήματα ἱμείρουσιν ἔχειν κ. τ. λ.

φιλότατα; „ποθεῖν“ in Pind. Ol. 13, 64: ζεῦξαι ποθέων ἔπαθεν; „ἵεσθαι“ in Simonid. 91, 1: ἐλεύθερον ἆμαρ ἀέξειν | ἱέμενοι; („μάω“) in Pind. Nem. 1, 43: τέκνοισιν ὠκείας γνάθους ἀμφελίξασθαι μεμαῶτες; Theocr. 25, 105: (τέκνα) πινέμεναι λαροῖο μεμαότα πάγχυ γάλακτος; „λιλαίεσθαι“ in Theocr. 22, 118: ῥέξαι τι λιλαιόμενος; „ἐπείγεσθαι“ in Theocr. 13, 47: βάψαι ἐπειγόμενος; Ep. 9, 3: εἰς λιπαρὴν Θάσον ἐλθεῖν | ἠπείγευ κοίλης ἔμπορος ἐκ Συρίης; („μέμονα“) in Theocr. 25, 64: μέμονεν δέ μιν αἰὲν ἐρέσθαι; quibus accedit „μαίνεσθαι“ in Theocr. E. v. A. (30, 31): ἐμαινόμαν φιλᾶσαι; deinde apud Pindarum et Simonidem invenitur „ματεύειν“; conf. Pyth. 4, 35: ξένιον μάστευσε δοῦναι; Nem. 8, 43: μαστεύει δὲ καὶ τέρψις ἐν ὄμμασι θέσθαι πίστιν; Isth. 5 (4), 14: μὴ μάτευε Ζεὺς γενέσθαι; Ol. 5, 24: μὴ ματεύσῃ θεὸς γενέσθαι; Simonid. 15, 3: πέταται θάνατον κεροέσσᾳ | εὑρέμεν (ματεύων) ἐλάφῳ; et eodem sensu apud Theocritum „ἐρευνᾶν“ 7, 45: τέκτων ... ὅστις ἐρευνῇ | ἶσον ὄρευς κορυφᾷ τελέσαι δόμον; cf. etiam („ἐρέω“) in Archil. 64, 1: μάχης δὲ τῆς σῆς, ὥστε διψέων πιεῖν, | ὣς ἐρέω; „σπεύδειν“ in Simonid. 85, 3: Ἑλλάδι γὰρ σπεύδοντες ἐλευθερίην περιθεῖναι; Pindar. Ol. 4, 12 s.: κῦδος ὄρσαι σπεύδει; Nem. 9, 21: σπεῦδεν ὅμιλος ἱκέσθαι; Theocr. 16, 14: αἰνεῖσθαι σπεύδοντι.

Sed ut iam de Latinis disputemus, verba „velle et nolle“ ab omnibus, ut iam adnotavimus, poetis et solutae orationis scriptoribus cum infinitivo coniunguntur; inveniuntur vero apud poetas multa alia verba cum infinitivo posita, quibus notio quidem illorum verborum sensu latiore inest, quae vero a bonis scriptoribus aut omnino non adhibentur aut rarissime usurpantur, ita ut dubitare non possimus, quin ad Graecorum imitationem cum infinitivo coniuncta sint (cf. Kuehner L. Gr. II. p. 490 s., § 124, 1). Apud solum Horatium hunc in modum invenitur adhibitum verbum „amare“; conf. φιλεῖν, ἔρασθαι apud Lyricos et Draeger „H. S.“ II. p. 306. Loci sunt hi:

O. 2, 3, 10: umbram hospitalem consociare amant ramis; O. 3, 9, 24: tecum vivere amem; O. 1, 2, 50: hic ames dici pater atque princeps; O. 3, 16, 9: aurum per medios ire satellites et perrumpere amat saxa; Epo. 8, 15: libelli Stoici inter sericos iacere pulvillos amant; S. 1, 4, 87: unus amet quavis adspergere cunctos; S. 1, 10, 60: amet scripsisse ducentos versus; S. 2, 5, 96: importunus amat laudari; S. 2, 3, 214: gestare amet

agnam; Ep. 1, 14, 9: (mens) amat spatiis obstantia rumpere claustra. Jam Quintilianus Graecismum in hac dicendi ratione agnovit, cum adnotaret in inst. or. 9, 3, 17 haec: Ex Graeco vero translata vel Sallustii plurima, quale est: vulgus amat fieri. Sed Sallusti locum neque intellexit neque recte exscripsit; agitur enim, ut Draeger „H. S.“ II. p. 306 observat, de verbis Jug. 34, 1: „quae irā fieri amat“, ubi accusativus cum inf. est.

Deinde ab Horatio et Phaedro cum inf. usurpatur „delectari“; cf. Ep. 1, 16, 32: vir bonus et prudens dici delector; Phaedr. 5, 3, 9: quae delectaris bibere; in soluta oratione loco infinitivi omnibus locis legitur gerundium. Jam apud Plautum (Ps. 1, 1, 116), saepius apud Ciceronem, rarissime apud reliquos scriptores et poetas invenitur „gestire“ c. inf.; cf. ἐπείγεσθαι, λιλαίεσθαι; Draeger „H. S.“ II. p. 308; Kuehner L. Gr. II. p. 495. Ex Horatii carminibus afferri possunt haec exempla: O. 3, 3, 54: visere gestiens; 3, 16, 24: partes linquere gestio; 4, 12, 14: pressum Calibus ducere Liberum | si gestis; S. 1, 4, 37: gestiet a furno redeuntes scire; Ep. 1, 20, 5: fuge quo descendere gestis; Ep. 2, 1, 175: gestit enim nummum in loculos demittere; A. p. 159: gestit paribus colludere; O. 2, 5, 8 (praegestire): ludere cum vitulis salicto praegestientis; cf. Plaut. Pseud. 1, 1, 116 (Rit.): gestio promittere; Cic. Phil. 4, 6, 14: senatum . . . delere gestit; Ov. Met. 4, 130: narrare g. A solis vero poetis usurpatur „furere“, quod legitur in Hor. O. 1, 15, 27: ecce furit te reperire atrox Tydides; cf. Stat. Th. 11, 356 (Kohlm.): fastigia muri | exsuperare furens; Anth. Lat. (Ries.) 307, 7: mori . . . furit. Denique semel apud Ciceronem de invent. 2, 26, 77, praeterea apud poetas tantummodo et scriptores solutae orationis posteriores reperitur verbum „quaerere“ cum inf. coniunctum, quod ab Horatio adhibetur in O. 1, 16, 26: nunc ego mitibus mutare quaero tristia; O. 1, 37, 22: perire quaerens; 3, 4, 39: finire quaerentem labores; 3, 24, 27: si quaeret pater urbium | subscribi statuis; 3, 27, 55: speciosa quaero pascere tigres; 4, 1, 12: si torrere iecur quaeris idoneum (cf. Draeger „H. S.“ II. p. 310).

Reliquum est, ut nonnulla verba afferamus, quae ab Horatio sensu verborum „velle et nolle“ ad Graecorum dicendi rationem cum infinitivo coniunguntur; primum huc referendum est verbum „parcere“; invenitur quidem hoc verbum iam apud Plautum,

Terentium, Catonem (cf. De re r. I. 1), non vero apud scriptores aureae, quae dicitur, aetatis; ab Horatio et poetis aequalibus nec non a scriptoribus solutae orationis posterioribus saepius usurpatur (cf. Kuehner L. Gr. II. p. 494 s.); huc pertinet Horatii O. 1, 28, 23: ne parce arenae ossibus particulam dare; 3, 8, 26: parce nimium cavere; 3, 28, 7: parcis deripere horreo cessantem amphoram; S. 2, 2, 58: mutatum parcit defundere vinum; Verg. Ecl. 3, 94: parcite, oves, nimium procedere; Aen. 3, 42: parce pias scelerare manus.

Apud Lyricos Graecos simile exemplum non invenitur; exstant autem in Anthol. Pal. nonnulli loci, quibus verbum „φείδεσθαι" eodem modo et sensu adhibetur; conf. epigr. Zonae in A. Pal. 9, 312, 1 (ed. Dueb. II. p. 63): Ὤνερ, τᾶν βαλάνων τὰν ματέρα φείδεο κόπτειν; Philod. 5, 121, 4 (I. p. 81): καὶ αἰτῆσαι πολλάκι φειδομένη; Meleagr. 5, 182, 9 (I. p. 91): μὴ φείδου τὰ ἅπαντα λέγειν; Straton. 12, 221, 5 (II. p. 425): φείδεο δ'ἀκμάξαι κοῦρον γαμψώνυχι ταρσῷ; deinde „τολμᾶν" in Theogn. 81: οἵτινες ἂν τολμῷεν, ὁμόφρονα θυμὸν ἔχοντες, ἶσον τῶν ἀγαθῶν τῶν τε κακῶν μετέχειν; 377: πῶς δή σευ, Κρονίδη, τολμᾷ νόος ἄνδρας ἀλιτροὺς ἐν ταὐτῇ μοίρῃ τόν τε δίκαιον ἔχειν; 388: τολμᾷ δ' οὐκ ἐθέλων αἴσχεα πολλὰ φέρειν. Pind. Ol. 2, 68: ὅσοι δ' ἐτόλμασαν ... ἀπὸ πάμπαν ἀδίκων ἔχειν ψυχάν; Theocr. 5, 35: εἴ τύ με τολμῇς ὄμμασι τοῖς ὀρθοῖσι ποτιβλέπεν; 14, 67: τολμασεῖς ἐπιόντα μένειν θρασὺν ἀσπιδιώταν; cf. Hor. Ep. 1, 2, 40: sapere aude; Ep. 2, 2, 111: audebit, quaecumque parum splendoris habebunt .... verba movere loco.

Huc etiam pertinent verba, quibus notio aversandi inest ut „auferre", quod ab solo Horatio cum infinitivo coniunctum est in S. 2, 7, 43: aufer me vultu terrere; spernere: O. 1, 1, 20: nec partem solido demere de die spernit; cf. Ov. Met. 9, 117: obsequio deferri spernit aquarum; „contemnere" in Ep. 1, 1, 50: magna coronari contemnat Olympia; 1, 1, 29: non tamen idcirco contemnas lippus inungui; „perhorrescere in O. 3, 16, 19: iure perhorrui late conspicuum tollere verticem; „odisse" in O. 2, 16, 26: laetus in praesens animus quod ultra est oderit curare; Ep. 1, 16, 52: oderunt peccare boni virtutis amore; conf. Sapph. 39, 1: σοὶ δ' ἐμέθεν μὲν ἀπήχθετο | φροντίσδην; Callim. 124, 1 (Bgk.[2] p. 156): καὶ γὰρ ὁ Θρηΐκίην μὲν ἀπέστυγε χανδὸν ἄμυστιν ζωροποτεῖν; Simon. 100, 1: τί δὴ ψυχαῖσι μεγαίρεις | ἀνθρώπων ἐρατῇ παρ νεότητι μένειν;

Alcman. 80, 1: μηδέ μ' ἀείδην ἀπέρυκε; Carm. pop. 47, 2: μὴ φθονεῖθ' ὥρας ἀγαθοῖσιν ὁμιλεῖν.

Aliam verborum classem, quae ab Horatio et scriptoribus solutae orationis posterioribus ad Graecorum dicendi rationem cum infinitivo coniunguntur, efficiunt ea, quibus notio dandi inest ut „dare, tradere, relinquere"; Graeci enim his verbis omnibus fere locis solum infinitivum addunt, rarissime particulam ὥστε c. inf. adhibent; Latini vero ea coniungunt vel cum gerundio, quod dicitur, addita praepositione „ad" vel cum supino in „um" exeunte vel cum enuntiato finali (cf. Kuehner L. Gr. II p. 501, § 125, 6; Draeger „H. S." II. p. 310 s.; 349 s.).

Horatius igitur si talibus verbis infinitivum addit, Graecanica constructione utitur, quam apud Lyricos saepissime invenimus; conf. διδόναι in Pind. Pyth. 4, 222: δῶκε χρίεσθαι; 4, 115: Κρονίδᾳ δὲ τράφειν Χείρωνι δῶκαν (Bgk. c. schol. τράφεν); Nem. 10, 26: καὶ τὸν Ἰσθμοῖ καὶ Νεμέᾳ στέφανον Μοίσαισιν ἔδωκ' ἀρόσαι; Ol. 6, 33: ἐκέλευσεν ἥρωι πορσαίνειν δόμεν Εἰλατίδᾳ βρέφος; Ol. 13, 106: ἐκδώσομεν πράσσειν; cf. vv. 114 s.; Mimnerm. 4, 1: Τιθωνῷ μὲν ἔδωκεν ἔχειν; Solon. 12, 3: δότε καὶ πρὸς ἁπάντων | ἀνθρώπων αἰεὶ δόξαν ἔχειν ἀγαθήν; Theog. 342: δὸς δέ μοι ἀντὶ κακῶν καί τι παθεῖν ἀγαθόν; 432: τοῦτό γ' ἔδωκε θεός, | ἰᾶσθαι κακότητα; 446: οἷα διδοῦσιν ἔχειν; cf. 1162 f; 1057: τάδ' ἔδωκαν ἔχειν; 1334: δοίη τῶν αὐτῶν ἀντιτυχεῖν ἐπέων; 1387: ἔδωπεν ἔχειν; Jon. 1, 15: δίδου δ' αἰῶνα, καλῶν ἐπιήρανε ἔργων, | πίνειν καὶ παίζειν καὶ τὰ δίκαια φρονεῖν; Bacchylid. 20, 1: δαίμων ἔδωκεν ... γῆρας ἱκνεῖσθαι; Callim. „Lav. Pall." 133: [Ζεὺς] δῶκεν Ἀθηναίᾳ πατρώια πάντα φέρεσθαι; Simm. 5, 2 (Bergk. ed. II. p. 516): δῶκεν αἰχμὰν Ἐνυάλιος εὔσκοπον ἔχειν; Carm. pop. 2, 2 (Bergk. ed. II. p. 532): σοὶ γὰρ ἔδωκαν πρώτῳ μέλος ἀνθρώποισιν φωναῖς λιγυραῖς ἀεῖσαι; sed cf. Maass, Herm. 23 p. 303 sqq.; frg. adesp. 10, 1: οὐ πάντα θεοὶ πᾶσιν ἔδωκαν ἔχειν (Bergk. ed. II. p. 540); sed cf. Boissonade ad Antholog. Pal. XII. 96 et Nauck Mél. Gréco-Rom. 3 p. 61 sqq.; Theocr. 1, 25: αἶγα δέ τοι δωσῶ διδυματόκον ἐς τρὶς ἀμέλξαι; 5, 107: ὃν τῷ παιδὶ δίδωμι τὰ θηρία πάντα διώκειν; 18, 50: Λατὼ μὲν δοίη... ὔμμιν | εὐτεκνίαν, Κύπρις δὲ ... ἶσον ἔρασθαι ἀλλάλων; ab omisso „δός" infinitivus pendet in Pind. Ol. 13, 114: ἄνα, κούφοισιν ἐκπνεῦσαι ποσίν; cf. πορίζειν in Bacchylid. 1, 1: ἔπορεν... βιοτὰν διάγειν.

Eodem modo adhibitum invenimus apud Horatium verbum „dare“ (cf. Kuehner L. Gr. II. p. 504, c) in O. 2, 16, 40: Parca non mendax dedit et malignum spernere vulgus; S. 2, 3, 191: di tibi dent capta classem deducere Troia; Ep. 1, 16, 61: da mihi fallere, da iusto sanctoque videri; A. p. 83: Musa dedit fidibus divos . . . referre; 323: Graiis dedit ore rotundo Musa loqui.

Verbo „dare“ intime accedit „donare“; sed raro invenitur; cf. Horatii O. 1, 31, 17: frui paratis et valido mihi, Latoe, dones ac precor integra cum mente nec turpem senectam degere; S. 2, 5, 60: „divinare mihi donat Apollo“ et Theogn. 1386 s.: σοί τι περισσὸν Ζεὺς τόδε τιμήσας δῶρον ἔδωκεν ἔχειν; deinde huc pertinet „tradere“ in O. 1, 26, 2: tradam protervis in mare Creticum | portare ventis; qui locus simillimus est Theocr. 29, 35: αἰ δὲ ταῦτα φέρην ἀνέμοισιν ἐπιτρόπης (A. Fritschius, ἐπιτρόπῃς Ziegl., ἐπιτρόπεις Ahrens.); conf. etiam Euripid. 3, 5: κάρυκι βοᾶν παραδοῦναι; „permittere“ in S. 2, 3, 190: dicere, quod sentit, permitto; conf. Theocr. 21, 3: οὐδὲ γὰρ εὕδειν ἀνδράσιν ἐργατίναισι κακαὶ παρέχοντι μέριμναι.

Deinde ex verbis, quibus notio docendi vel impellendi inest quaeque ab Horatio iuxta Graecorum dicendi usum cum infinitivo usurpantur, afferri debet „monstrare“ in Ep. 1, 2, 65: ire viam, qua monstret eques; S. 2, 8, 51: inulas ego primus amaras | monstravi incoquere; cf. Pind. Ol. 9, 74: ὥστ' ἔμφρονι δεῖξαι μαθεῖν Πατρόκλου βιατὰν νόον (Bgk. δεῖσαι); deinde „descendere“ in O. 3, 21, 7: descende, Corvino iubente | promere languidiora vina; cf. Anacreon. 2, 7: ἔλθ' ἡμῖν, κεχαρισμένης δ' εὐχωλῆς ἐπακούειν; „urgere“ in O. 2, 18, 20: urgues summovere litora, quocum cf. Theogn. 356: εὖτέ σε καὶ τούτων μοῖρ' ἐπέβαλλεν ἔχειν. Denique verbum „esse“, si idem significat quod ἔστιν, ἔνι, ἔξεστι apud Graecos, cum infinitivo coniungitur ut in Epod. 17, 25: neque est levare tenta spiritu praecordia; S. 1, 2, 79: plus haurire mali est quam ex re decerpere fructus; S. 1, 2, 101: Cois tibi paene videre est, quibuscum locis cf. Theogn. 817: ὅ τι μοῖρα παθεῖν, οὐκ ἔσθ' ὑπαλύξαι; 905: εἰ μὲν γὰρ κατιδεῖν βιότου τέλος ἦν; 1065: ἔστι δὲ κωμάζοντα μετ' αὐλητῆρος ἀείδειν; Ibyc. 16, 1: οὐκ ἔστιν ἀποφθιμένοις ζωᾶς ἔτι φάρμακον εὑρεῖν; Timocreon. 6, 1:

ᾧ ξυμβουλεύειν χὲρς ἄπο, νοῦς πάρα; Theocrit. 5, 10: οὐδὲ γὰρ Εὐμαρίδᾳ τῷ δεσπότᾳ ἧς τι ἐνεύδειν; Pind. Nem. 6, 45 (52): ἐντὶ πρόσοδοι νᾶσον εὐκλέα τάνδε κοσμεῖν.

Sed iam res in eo est, ut de infinitivo cum adiectivis coniuncto agamus; poetae Graeci enim non tantum verbis, quae animi vim et facultatem significant, infinitivum addunt, sed etiam multis adiectivis, quibus haec vel similis vel etiam prorsus alia notio inest (cf. Kuehner Gr. Gr. II. p. 580 s., § 473, 3—6). Contra e Latinorum dicendi ratione his adiectivis non infinitivus sed gerundium, quod vocatur, adiungitur; poetae vero temporis Augustei et scriptores solutae orationis posteriores Graecorum dicendi usum secuti nonnulla etiam adiectiva cum infinitivo coniungunt; sed exempla huius dicendi generis et apud poetas, si solum Horatium eiusque aemulatorem Silium Italicum excipias, et apud scriptores solutae orationis perpauca sunt (conf. Kuehner L. Gr. II. p. 553, a, 6; § 132; Draeger „H. S.“ II. p. 372—79).

A solo Horatio usurpata sunt adiectiva haec: „blandus“ in O. 1, 12, 11: blandum et auritas ducere quercus; „celer“ in O. 1, 15, 18: celerem sequi; O. 3, 12, 8: et celer arto latitantem fruticeto excipere aprum; 4, 6, 39: celeremque pronos | volvere menses; Ep. 1, 20, 25: irasci celerem; „durus“ in S. 1, 4, 8: durus componere versus; „idoneus“ in Ep. 1, 16, 12: fons etiam rivo dare nomen idoneus; „ridiculus“ in S. 2, 8, 24: ridiculus totas simul absorbere placentas; „verax“ in C. S. 25: vosque veraces cecinisse, Parcae.

Deinde apud Horatium et Silium Italicum exstat „lubricus“ in O. 1, 19, 8: et vultus nimium lubricus adspici; conf. Sil. J. 5, 18: flore capi iuvenum . . . lubrica; „minor“ in S. 2, 3, 313: et tanto certare minorem; cf. Sil. J. 5, 76: fatis superi certasse minores; e Lyric. Graecorum fragmentis huc spectat locus Bacchylid. 7, 2: μεῖζον ἢ πενθεῖν ἐφάνη κακόν; „nobilis“ in O. 1, 12, 26: hunc equis, illum superare pugnis | nobilem“; cf. Sil. J. 11, 73: „avum fronte aequavisse severa nobilis“ et „κυδρός“ in Xenoph. 2, 6: ἀστοῖσίν κ' εἴη κυδρότερος προσορᾶν; „sollers“ in O. 4, 8, 8: sollers nunc hominem ponere, nunc deum, cf. Sil. J. 1, 79: sollers nutrire furores; 8, 595: sollers

arva coronantem nutrire; 8, 258: accendere sollers invidiam; „timidus“ in O. 3, 19, 2: Codrus pro patria non timidus mori; O. 4, 9, 52: (non ille) pro patria timidus perire; cf. Sil. J. 16, 574: nec timidos agitare canes latratibus aprum.

Apud Horatium et Valerium Maximum exstat „utilis“ c. inf.; cf. A. p. 204: (tibia) adesse choris erat utilis; Val. M. 4, 6: cognosci utilia; quocum conf. apud Lyricos Graecos „σύμφορος“ in Theog. 526: ἡ πενίη δὲ κακῷ σύμφορος ἀνδρὶ φέρειν; „φέρτατος“ in Pind. Ol. 7, 26: ὅ τι νῦν ἐν καὶ τελευτᾷ φέρτατον ἀνδρὶ τυχεῖν.

Apud Horatium et hic illic apud poetas aequales et scriptores solutae orationis posteriores inveniuntur haec adiectiva: „audax“; cf. O. 1, 3, 25: audax omnia perpeti; „callidus“; cf. O. 1, 10, 7: callidum condere furto; 3, 11, 4: testudo resonare septem callida nervis; cf. Persii 1, 118: callidus ... populum suspendere naso; „catus“; cf. O. 3, 12, 7 (13): catus fugientes cervos iaculari; „cautus“; cf. S. 1, 6, 51: cautum dignos assumere; cf. Persii 5, 24: dignoscere cautus; „cereus“; cf. A. p. 163: cereus in vitium flecti; „dignus“; cf. O. 3, 21, 6: (testa) moveri digna; S. 1, 4, 3: si quis erat dignus describi; S. 1, 3, 24: improbus hic amor est dignusque notari; S. 1, 4, 25: culpari dignos; S. 1, 10, 72: digna legi; A. p. 183: non tamen intus digna geri promes in scenam; cf. Verg. Ecl. 5, 54: puer ipse cantari dignus; eodem modo apud Lyricos Graecos adhibetur „ἄξιος“ in Pind. Isth. 3, 3: ἄξιος εὐλογίαις ἀστῶν μεμῖχθαι; Theog. 77: πιστὸς ἀνὴρ χρυσοῦ τε καὶ ἀργύρου ἀντερύσασθαι | ἄξιος ἐν χαλεπῇ, Κύρνε, διχοστασίῃ; „dolosus“; cf. O. 1, 35, 28: ferre iugum pariter dolosi; „efficax“; cf. O. 4, 12, 20: amaraque curarum eluere efficax; „firmus“; cf. Ep. 1, 17, 47: et fundus nec vendibilis nec pascere firmus; „fortis“; cf. O. 1, 37, 26: fortis et asperas tractare serpentes; O. 3, 3, 50: spernere fortior; S. 2, 7, 85: contemnere honores fortis; cf. Stat. Th. 20, 906: „turbare puellas fortior“ et Pind. Nem. 7, 27: ὃν κράτιστον ... δάμαρτα κομίσαι; „immeritus“; cf. O. 3, 2, 21: virtus recludens immeritis mori | coelum; „impiger“; cf. O. 4, 14, 22: impiger hostium vexare turmas; cf. „ἄσχολος“ in Pind. Pyth. 8, 29: εἰμὶ δ' ἄσχολος ἀναθέμεν πᾶσαν μακραγορίαν λύρᾳ; „impotens“; cf. O. 1, 37, 10: quidlibet impotens sperare; Manil. 5, 168: ille potens

turba perfundere membra pilarum; cf. „δυνατός“ in Theog. 522: ξείνια δὲ πλεόνεσσ' οὐ δυνατὸς παρέχειν; „indoctus“; cf. O. 2, 6, 2: Cantabrum indoctum iuga ferre nostra; conf. Alexandr. Aetol. 5, 2 (Bergk. ed. II. p. 141): καὶ τωθάζειν οὐδὲ παρ' οἶνον μεμαθηκώς; „invidens“; cf. O. 1, 37, 30: invidens privata deduci triumpho; „lenis“; cf. O. 1, 24, 17: non lenis precibus fata recludere; C. S. 13: rite maturos aperire partus lenis; „levis“; cf. O. 2, 4, 11: leviora tolli Pergama; cf. Sil. J. 4, 549: levior discurrere Maurus; „nescius“; cf. O. 1, 6, 6: Pelidae stomachum cedere nescii; 4, 6, 18: nescios fari pueros; S. 2, 3, 109: nescius uti compositis; cf. Verg. Ge. 2, 467: nescia fallere vita: 4, 470: nescia ... mansuescere corda; Aen. 10, 502: nescia mens ... servare modum; 12, 527: nescia vinci pectora[1]); „niveus“; cf. O. 4, 2, 59: qua notam duxit, niveus videri; cf. „λευκός“ in Cleobulin. 3, 3: αἱ μὲν λευκαὶ ἔασιν ἰδεῖν, αἱ δ' αὖτε μέλαιναι; „ἐρυθρός“ in Theog. 450: χρυσόν, ἐρυθρὸν ἰδεῖν τριβόμενον βασάνῳ; „pernix“; cf. A. p. 165: amata relinquere pernix; „pertinax“; cf. O. 3, 29, 50: ludum insolentem ludere pertinax; „praesens“; cf. O. 1, 35, 2: praesens ... tollere ... mortale corpus vel ... vertere funeribus triumphos; „prudens“; cf. Ep. 17, 47: prudens anus | novendiales dissipare pulveres; „saevus“; cf. Ep. 1, 15, 30: quaelibet in quemvis opprobria fingere saevus; conf. Solon. 12, 6: τοῖσι δὲ δεινὸν ἰδεῖν; „segnis“; cf. O. 3, 21, 22: segnesque nodum solvere Gratiae; cf. Verg. Aen. 11, 736: at non in Venerem segnes .... aut exspectare dapes; Ov. Trist. 5, 7, 19: dextra non segnis ... dare vulnera; Theocr. 29, 30: κἄμμες βαρδύτεροι τὰ ποτήμενα συλλάβην.

Jam adiectivis e Lyricis Graecis allatis addamus necesse est nonnulla alia, quae in Horatii carminibus non inveniuntur neque cum prioribus allatis conferenda erant, ad quorum significationem proxime accedunt; adiectiva sunt haec: ἀγαθός in Tyrtaei 3, 3: Μεσσήνην ἀγαθὴν μὲν ἀροῦν, ἀγαθὴν δὲ φυτεύειν; Xenophon. 2, 15: οὔτε γὰρ εἰ πύκτης ἀγαθὸς λαοῖσι μετείη | οὔτ' εἰ πενταθλεῖν; (ἀμεινότερος): Mimnerm. 12, 9: οὐ γάρ τις κείνου δηίων (τότ') ἀμεινότερος φὼς | ἔσκεν ἐποίχεσθαι ... ἔργον; (λώϊον); Scol. 12, 2:

---

[1]) **Praeterea hoc adiectivum c. inf. coniunctum invenitur apud Propertium, Persium, Lucanum, Juvenal.**

μάχεσθαι ἀγαθούς; Theog. 690: οὐδ' ἔρδειν ὅ τι μὴ λώιον ᾖ τελέσαι; Timocreon. 1, 4: ἐλθεῖν ἕνα λῷστον; αἰδοῖος: Pind. Isth. 2, 37: αἰδοῖος μὲν ἦν ἀστοῖς ὁμιλεῖν; Solon. 12, 6: τοῖσι μὲν αἰδοῖον, τοῖσι δὲ δεινὸν ἰδεῖν; ἀνεκτός: Semonid. 7, 32: τὴν δ' οὐκ ἀνεκτὸς οὔτ' ἐν ὀφθαλμοῖσ' ἰδεῖν οὔτ' ἆσσον ἐλθεῖν; ἀνιηρός; Theog. 124: καὶ γνῶναι πάντων τοῦτ' ἀνιηρότατον; ἀμήχανος: Pind. Ol. 7, 25: τοῦτο δ' ἀμάχανον εὑρεῖν; Pyth. 11, 26: καλύψαι τ' ἀμάχανον; ἀπάλαιστος: Pind. Nem. 4, 94: ἀπάλαιστος ἐν λόγῳ ἕλκειν; βραχύς: Pind. Isth. 7 (6), 44: τὰ μακρὰ δ' εἴς τις παπταίνει, βραχὺς ἐξικέσθαι χαλκόπεδον θεῶν ἕδραν; Nem. 10, 19: βραχύ μοι στόμα πάντ' ἀναγήσασθαι; γλυκύς: Pind. Pyth. 6, 52: γλυκεῖα δὲ φρὴν καὶ συμπόταισιν ὁμιλεῖν; ἕτοιμος: Crat. 17, 2: δόμος ἕτοιμος ἡμῖν ἐνδιαιτᾶσθαι πάρα; θηητός: Tyrtae. 8, 29: ἀνδράσι μὲν θηητὸς ἰδεῖν, ἐρατὸς δὲ γυναιξίν; ἴσος: Theog. 82: (θυμόν), ἴσον τῶν ἀγαθῶν τῶν τε κακῶν μετέχειν: „καλός"; cf. Tyrtae. 10, 14: (τόδ' ἄεθλον) κάλλιστόν τε φέρειν γίγνεται ἀνδρὶ νέῳ = Theog. 1004; Theog. 1369 sq.: παιδὸς ἔρως καλὸς μὲν ἔχειν, καλὸς δ' ἀποθέσθαι· πολλὸν δ' εὑρέσθαι ῥήτερον ἢ τελέσαι; Simonid. 130, 3: κάλλιστον μὲν ἰδεῖν, ἀθλεῖν δ' οὐ χείρονα μορφᾶς; Pind. Ol. 8, 19: ἦν δ' ἐσορᾶν καλός; „νεμεσητός": Tyrtae. 8, 26: αἰσχρὰ τά γ' ὀφθαλμοῖς καὶ νεμεσητὰ ἰδεῖν; „στρυφνός": Alexand. Aet. 5, 1 (Bergk. ad II. p. 141): στρυφνὸς μὲν ἔμοιγε προσειπεῖν; „τηλίκος": Theog. 578: οὔ τοι τηλίκος εἰμὶ μαθεῖν; „τίμιος": Xenophan. 5, 2: τίμιον ἀνδρὶ λαχεῖν; „τοῖος": Parrhasii 3, 2. (p. 144): τοῖος ὅδ' ἐστὶν ὁρᾶν; Theog. 216: τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη; „χαρίεις"; Theog. 477: ἥξω δ' ὡς οἶνος χαριέστατος ἀνδρὶ πεπόσθαι; „ῥοικός": Archil. 55, 3: καὶ περὶ κνήμας ἰδεῖν | ῥοικός.

Absolutis iam iis, quae de solo infinitivo disputanda erant, si ad substantiva vel adiectiva respicimus, quae ei praedicati instar addi solent, alium Graecismum invenimus; iuxta leges grammaticas enim Latini verba dicendi, sentiendi similiaque cum nominativo c. inf. non coniungunt nisi si in formis passivis adhibentur; Graeci vero non solum formis mediis et passivis, sed etiam activis nominativum c. inf. addunt, dummodo utrique enuntiato idem subiectum sit (conf. Kuehner Gr. Gr. II. p. 583, § 473, 5; Krueger gr. gr. 55, 2). Poetae igitur temporis Augustei et posteriores, si etiam formis verborum activis nominativum c. inf. adiungunt, certe Graecorum vestigia premunt (cf. Draeger „H. S." II. p. 446). Apud Lyricos hoc modo saepius adhibetur

„δοκεῖν“; conf. Phocyl. 7, 1: πολλοί τοι δοκέουσι σαόφρονες ἔμμεναι ἄνδρες; Solon. 12, 39: ἄλλος δειλὸς ἐὼν ἀγαθὸς δοκεῖ ἔμμεναι ἀνὴρ | καὶ καλός; cf. J. J. 1886, p. 55 sq.; Theog. 339: χοὕτως ἂν δοκέοιμι μετ' ἀνθρώπων θεὸς εἶναι; Semonid. 1, 9: οὐδεὶς ὅστις οὐ δοκεῖ βροτῶν | πλούτῳ τε κ'ἀγαθοῖσιν ἵξεσθαι πλέον; Theocr. 11, 50: αἰ δέ τοι αὐτὸς ἐγὼν δοκέω λασιώτερος ἦμεν; 14, 25: πολλοῖς δοκέων καλὸς ἦμεν; cui accedit „ἀναίνεσθαι“ in Theog. 188: ἀναίνεται εἶναι ἄκοιτις.

Apud Horatium eximium huius dicendi generis exemplum exstat in Ep. 1, 7, 22: vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus; conf. Catull. 4, 2: ait fuisse navium celerrimus; Ov. Met. 13, 141: rettulit Aiax esse Jovis pronepos (Draeger „H. S. II.[2] p. 446).

Non aliter res se haberet in O. 3, 27, 73: „uxor invicti Jovis esse nescis“, si verbum „nescis“ sensu subtiliore „du weißt nicht, dass“ acciperemus; sed iam Zumptius recte observavit, vocem „nescis“ hac loco idem significare, quod „non audes“, hacque de re cum infinitivo coniunctam esse; quam sententiam etiam Ebeling l. a. tuetur his usus verbis: „nescis esse“ non significat οὐκ οἶσθα οὖσα, nescis te esse uxorem; est potius infinitivus obiecti instar ita additus, ut idem sit ac „non audes, non vales esse uxor Jovis“ seu „te gerere Jovis uxorem“. Hanc interpretationem praestare docet imperativus, qui sequitur (v. 75): disce fortunam.

De participio.

Scriptores Graeci multa verba cum participio coniungunt, quae a Latinis aut cum enuntiato secundario aut saltem a bonis scriptoribus hoc sensu omnino non adhibentur.

